

DISPUTATIO JURIDICA

DE CAUSIS ACTIONUM, QUATENUS EÆ CUM EX MODIS ACQUIRENDI, tùm ex Obligationibus dependent;

QUAM

ASPIRANTE DIVINI NUMINIS GRATIA

Præſide

Clariſſimo & Conſultiſſimo Viro

DN. GEORGIO DAVIDE LOCAMERO J.U.D. PANDECTARUM in celeberrima Argentoratenſium Academia Profeſſore, ac p.t. Magnifico Rectore, præceptore & favitore ſuo, ſummâ obſervantiâ æternùm colendo,

Publicè & ſolenniter ventilandam proponit ad diem Mart.

In Auditorio majori,

JACOBUS HüNEKEN BREMENSIS

ARGENTORATI,
Typis RIHELIANIS,
ANNO M. DC. XXVI.







VIRIS,

AMPLISSIMIS, PRUDENTISSIMIS, CONSULTISSIMIS, MULTARUMQUE RERUM USU & experientia præſtantiſſimis;

Dn. ARNOLDO à BOBART, J. U. D. & Inclutæ Bremenſis Reip. Senatori graviſſimo:

Dn. NICOLAO REGENSTORF J. U. D & prædictæ Reip. Senatori, & Eccleſiarum ejuſdem territorii Viſitatori digniſſimo:

Dn. CONRADO EDEN } ICTIS & curiæ Bremenſis
Dn. ALARDO BöNING } Advocatis diſertiſſimis:

Dominis ſuis Mecœnatibus, Patronis, cognatis, avunculo & affini, ſummo reverentia, ac obſervantiæ ſtudio perpetim colendis,

Hanc

De cauſis Actionum
Diſputationem

In

Animi beneficia recolentis ſignum,
Debitæ obſervantiæ pignus,
Academici exercitii teſtimonium, &
Sui ſtudiorumque ſuorum commendationem ulteriorem
inſcribit ac offert

Author-Reſpondens.

QUOD SS. TRIAS BENE VERTAT.

TOtius Juriſprudentiæ finis ac ſcopus, ad quem omnia, quæ in univerſo juris corpore proponuntur, collimant, eſt JUDICIUM; ſeu cognitio & præſtatio eorum, quæ cùm ad ordinandas, tùm ad finiendas actiones in judicio ſunt neceſſaria.

2. Hunc enim ſtudii juridici finem ponit ipſe Juſtinianus, ut poſſint ejus cultores, quæ didicerunt, in judiciis oſtendere; & judiciorum optimi cùm athletæ tùm gubernatores fieri: *conſtit. de rat. & meth. jur. doc. §. ſed quia ſobitum. 5. & ſeq. C. I. A. lib. 1. tit. 5. th. 1.*

3. Formam verò & animam quaſi judiciis tribuunt actiones: quæ & inde judicia non rarò appellantur. *ut in l. in omnibus 41. ff. de judic. l. 1. C. fam. erciſc. l. 1. C. de contrar. jud. tut.*

4. Actio autem nulla in judicium rectè deduci, nedum in eo feliciter tractari aut finiri poteſt, niſi cauſa ejus, ex qua naſcatur, ſit cognita.

5. Scire enim eſt rem per cauſas cognoſcere: *Ariſt. lib. 1. Metaph. c. 3.* eiuſque cognitionis potiſſima pars in principiis, & unde res quæque oriatur, conſiſtit. *fac. l. 1. ff. de Or. jur.*

6. Et operæ proinde fuerit pretium, hunc ipſum articulū, qui de cauſis actionum eſt, aliquantò plenius attingere.

7. Sed mihi nunc eſt propoſitum, præcipua tantùm de actionum & quidem communiter magiſque propriè dictarum cauſis attingere: Reliquis omnibus ſequenti ſtudio ulteriori reſervatis.

8. Principiò igitur ſic pono, quod omnium actionum quibus apud judices arbitrosve de quacunque re quæritur, ſumma cauſa pro duplici ipſarum actionum genere, ſit duplex.

9. Nam omnis actio aut in rem eſt, quâ ſc. rem aliquam corporalem (quæ & ſola κατ' ἐξοχὴν res dicitur) noſtram, vel jus aliquod in ea noſtrum eſſe contendimus; aut in perſonam,

quâ nobis quid debitum, ſeu alterum nobis quid dare vel facere obligatum eſſe intendimus. *§.1.Inſt.de action.*

10. Actionum in rem omnium cauſa eſt Dominium, vel jus in re aliud: In perſonam verò obligatio.

11. Ita planè, ut cauſis & modis dominij, jurisvè in re alius acquirendi, itemque obligationis conſtituendæ perſpectis, ipſarum quoque actionum cauſæ perſpectæ dici poſſint.

12. Videbo igitur de utriſque: & actionum quidem in rem causâ de modis acquirendi, earum verò, quæ in perſonam ſunt, gratiâ, de cauſis inducendarum obligationum diſpiciam: eo ordine, quo & in comptiſſimo Inſtitutionum libello, de iiſdem tractatur.

13. MODI ACQUIRENDI in univerſum ſunt duplices: SINGULARES nempe, quibus res ſingulæ: & UNIVERSALES, quibus per univerſitatem res acquiruntur. *§.ult.Inſt.per quas perſ.cuique acquir.*

14. Ubi PRIMÒ tenendum, quòd ſingulæ res dicantur, quæ per ſe ſolæ ac ſeparatim abſque commodis & incommodis aliis, ad eundem hominem ſpectantibus aut relatis, conſiderantur, velut homo, equus, fundus, talis qualis eſt, & citra cohærentiam aliorum vel corporum vel jurium conſideratus *pr.Inſt.de ſing. reb. per fideic.relict.* Univerſitas verò appelletur maſſa (ut ita loquar) bonorum, quæ cuiuſque ſunt aut fuerunt, non tantùm commoda ſed & onera ſive incommoda; non tantùm res dominio alicuius ſubiectas ſed & debita ac credita cōplectens. *l.bona autem 3.in pr ff de bon poſſeſſ. l. heres.37.ff. de acquir.vel omitt.hered Vulcej.in comment ad lib.2.Inſt.tit.24.in pr.n.2.* ſive ea in univerſum ut tota, integra & una conſideretur: ſive pro rata & in plures partes (in quarum tamen ſingulis tàm commoda quam incomoda contineantur) diſtincta, *tot.tit.ff.ſi pars hered petat.* cùm & fieri poſſit, ut univerſitas intelligatur in re unà eâque minimâ *l. regulariter.9: cum l.ſeq.pr.ff. de her. petit. Clariſſ.Dn.Præſes in prælectionibus publicis*

15. SECUNDÒ tenendum, quòd licet ſingulares modi à rebus ſingulis acquirendis dicantur, non tamen ſit exiſtimandum, per eos non niſi res ſingulares acquiri poſſe; ſed hoc ita accipiendum, quòd per eos regulariter res ſingulæ acquirantur,

poſſit

poſſit tamen per eos etiam univerſitas acquiri, ut manifeſtū eſt exemplo Donationis, Legati & Fideicommiſſi: quos modos ſingulares eſſe, conſtat *ex §. ult. Inſt. per quas perſon. cuique acquir.* quibus tamen iisdem modis univerſitatem etiam acquiri poſſe evidens eſt, quoad donationem quidem *ex l. ſi quis. 35. §. ſed & ſi quis. 4. C. de donat.* quoad legatum, *ex §. ſed quia heredes. 5. ibi legatarii partiarii loco erat &c. Inſt. de fideic. hered.* quoad fideicōmiſſum denique *ex d. tit. Inſt. de fideicom. hered.* Univerſales autem modi ab univerſitate acquirenda dicantur ita, quòd per eos tantùm Univerſitas acquiratur, & in ipſa univerſitate per conſequentiam demùm res ſingulæ *d. §. ult. Inſt. per quas perſon. cuiq; acquir.* uſque adeò ut licet res unica quoque & veluti ſingulariter conſiderata, alicui ab altero relicta ſit, vel aliàs obvenerit titulo univerſali, nihilominus & in illa unâ re univerſitas intelligenda, & rei etiam illius mentio interdum detrahenda ſit. *l. 1. §. ſi ex fundo. 4. l. quoties. 9. §. ſi duo ſint. 13. & l. ſeq. ff. de hered. inſtit.*

16. Obſervatum autem inter hoſce acquirendi modos diſcrimen ad hoc maximè conducit, ut ſciamus ei, qui modo ſingulari acquirit rem ſingularem, iſtam rem vel acquiſitionem eius ultra illam ipſam utilem aut damnoſam eſſe non poſſe; illum verò qui titulo univerſali rem aliquam, etiam ſingularem acquirit, cum commodorum aliorum, quæ ab eodem auctore dependent, fieri participem, tùm etiam oneribus & incommodis quæ eidem illi incubuerunt, gravari ac ſubjici. *l. ſecundùm. 10. ff. de R. I. l. ult. §. 3. C. de furt.* ita planè ut interdū lucrum captans, magnum inde ſibi damnum acceſſat, ut intelligi poteſt *ex §. extraneis autem. 5. Inſt. de hered. qual. & diff. l. ult. § ſin autem hoc aliquis. 14. C. de jur. delib.*

SINGULARES porrò illi modi rurſus diſtinguuntur, quòd alii quidem ſint JURIS GENTIUM, alii verò JURIS CIVILIS, *§. ſingulorum autem. 11. Inſt. de rer. div. §. ult. Inſt. de uſ. & habitab.*

18. Ubi tenendum, quòd diſtinctio iſta non tàm ratione cauſæ efficientis ſit accipienda; quatenus ſc. ex jure vel civili vel gentium modi aliqui dependent & inventi ſunt, quàm ratione finis & uſus, quatenus ſc. quorundam modorum uſus de jure Romano eſt limitatus, & ad ſolos cives Romanos (quales

ſunt omnes qui in orbe Romano ſunt *l. in orbe 17. ff. de ſtat. hom.* ſubiecti ſc. Imperio & ſpecialiter ἀπόλιδες eſſe non juſſi aut condemnati. *l. ſunt quidam. 17. §. 1. ff. de pœn.*) reſtrictus; quorundam verò communiter omnibus, etiam peregrinis & extra civitatẽ Romanam degentibus eſt cõceſſus; *ut patet ex l. deportatus. 15. & ſeq. ff. de interdict. & releg. & l. 1. C. de hered. inſtit.* Eſſe enim modos aliquos juris Gentium, qui tamen non ex conſenſu omniũ gentium, ſed pro arbitrio & legislatione Romana conſtituti ſunt, docet exemplum picturæ. *§. ſi quis in aliena. 35. Inſt. de R. D. fac. l. an inutilis. § §. ult ff. de accept.* & contrà, eſſe aliquos juris civilis, qui tamen non tam ex legislatione Romana quàm conſenſu omnium robur haberi videri poſſent, probatur exemplo Donationis quam modis civilibus annumerari manifeſtum eſt *ex tot. tit. & præcipuè ex §. ult. Inſt. de donat. collato §. ult. Inſt. de uſ. & hab. Ampliß. Dn. Præſes in prælect.*

19. JURIS GENTIUM modi plures quidem ſunt, ſed omnes tamen ad TRES generales non incommodè referri poſſunt.

20. PRIMUS eſt OCCUPATIO quæ omnis nititur hoc fundamento, quòd id quod antè nullius eſt, naturali ratione occupãti cõcedatur. *l. quod enim. 3. pr. l. 30 §. 4. in fin. & l. ſeq. ff. de acquir. rer. dom. § feras igitur. 12. Inſt de rer. div.* Res a. nullius hic eſt, quæ actu quidem eſt nullius, poteſtate autem talis eſt, ut alicuius fieri poſſit, quales ſunt res omnes quas ipſa natura quaſi in medio, cuilibet hominum occupandas & acquirendas poſuit: ut ſunt tum omnis generis fera animalia ſive ea in terra ſive in aqua ſive in aëre reperiantur; *de qua occupatione tractatur in § 12. 13. 14. 15. & 16. Inſt. de rer. div. & in l. 1. § ult. l. 3. 4. 5 ff. de A. R. D* tum etiam res inanimatæ, ſive palàm expoſitæ, ut ſunt loca jure naturali communia, & quæ in his inveniuntur: *§. 1. § item lapilli. 18. Inſt. de R. D l 3. ff eod. l. 1. ff. de acquir poſſeſſ. add l 1. § quod ſi quis. 18. ff. de oper. nov. nunciat* ſive occultatæ & poſt repertæ, ut eſt theſaurus. *de cujus inventione agitur in §. theſaurus. 40. Inſt. d. t. & in l. 31 §. 1. l ſi is qui. 63. ff. de A. R. D. l. un C. de theſaur.* Eſt tamen & occupatio ac acquiſitio quædam rerum, quas non ipſa natura, ſed voluntas & inſtitutum hominum mutuo veluti certamine occupandas & acquirendas expoſuit. *de qua in §. 17. Inſt. de R. D.*

l. 5.

l.5.§.ult.& l.7.pr.l.transfugam.51.§.1.ff.de A. R. D.

21. SECVNDVS acquirendi ex Jure gentium modus generalis, conſtitui poteſt ACCESSIO; eaque VEL NATVRALIS, abſque facto induſtriave hominis contingens; & rurſus AVT DISCRETA, diſtinctorum & ſeparatorum corporum, quâ & animalia nata ex noſtris animalibus (fœmellis l. *idem Pomponius 5. §. idem ſcribit 2.ff. de R. V.*) noſtra fiunt *§. item ea 19. d.t. l.2. l 6.ff.de A.R.D.* & inſula in flumine nata *§. inſula, 22. d.t. l. adeo quidem 7. §. inſula 3. ff.d. t.* Itemque alveus à flumine derelictus (non etiam locus inundatus tantùm *§. alia ſanè. 24. Inſtit. d.t. l.7. §. aliud ſanè. 6.ff.d.t.*) vicinorũ prædiorũ dominis acquiritur. *§. quod ſi naturali. 23. d.t. d. l. 7. §. quòd ſi toto 5. l. ergo ſi inſula. 30. §. 1. in fin.ff.d.t.* & fructus (qui dignoſci poſſunt ex *§. in pecudum. 38. Inſtit.d.t.& l. in pecudum. 38. pr. de Vſur.*) ex aliena re pervenientes bonæ fidei poſſeſſori. *§. ſi quis à non domino. 36. l. bona fidei. 48. pr. ff. d. A. R. D.* & Uſufructuario atque colono acquiruntur. *§. Is verò 37. Inſtit. d.t. l. qui ſcit. 25. §. 1. ff. de Uſur.* AVT CONTINVA, partis videlicet alicujus ad aliam partem continuè accedentis: veluti ſi per alluvionem aliquid agro noſtro accedat. *§. præterea. 20. d t. d. l. adeò quidem. 7. §. 1. ff. de A R D. l. 1 & 3. C. de alluvio.* vel vis fluminis partem terræ ad agrum noſtrum adijciat. poſtmodùm agro noſtro coaleſcentem. *§. quod ſi vis. 21. Inſtit. d.t. d. l. 7. §. 2.* VEL ARTIFICIALIS, ex facto & induſtria hominis abſque cooperatione naturæ, veluti ſi quis ex aliena materia novam ſpeciem confecerit. *§. cum ex aliena. 25. & ſeq. Inſtit. d. t. d. l. 7. §. cum quis. 7.* vel alienam purpuram ſuo veſtimento intexuerit. *§. ſi tamen. 27.* vel in ſuo ſolo ex aliena materia ædificaverit, vel contrà: Utrobique enim, ædificium cedit ſolo. *§. cum in ſuo. 30. Inſtit d.t. d. l 7. §. cum in ſuo. 10. & §. ex diverſo. 12. d. t.* vel ſi in aliena charta quid ſcripſerit, ſcriptura enim chartæ cedit. *§ ſi quis. 35.* VEL denique MIXTA partim ex facto hominis, partim etiam ex cooperatione naturæ ſive per acceſſionem ſive coalitionem rerum ipſarum contingens, veluti ſi diverſorum dominorum materiæ liquidæ confundantur, vel materiæ aridæ commiſceantur: tunc enim cæteris paribus communio inducitur. *§. 28. & ſeq.* Vel ſi alienam plantam in ſuo ſolo, aut contrà in alieno ſolo plantam ſuam quæ poſtea coaluit, poſuerit, vel ſuum ſemen in alieno, aut

contrà

contrà in alieno ſuum ſemen ſeverit: utrobique enim plantata & ſata ſolo cedunt. *§. 31. 32. & ſeq. Inſtit. d. t.*

22. TERTIVS & POSTREMVS ex jure gentium acquirendi modis generalis, eſt TRADITIO: eaque vel VERA, quâ videlicet evidenter hoc agitur, ut res vel poſſeſſio rei quæ penes quem erat, in alium accipientem transferatur: tunc enim cæteris paribus res ipſa accipienti acquiritur. *§. per traditionem. 41. & ſeq.* ſive ipſe dominus tradat, ſive eius voluntate alius. *§. nihil autem intereſt. 43. Inſt. d. R. D.* VEL QVASI, quâ re ipsâ hoc agitur, ut poſſeſſio alicujus rei ab uno in alium, tranſeat, puta ſi res jam antè penes aliquem ſit ex cauſa ad transferēdum inidonea: poſtea autem ſuperveniat cauſa idonea, & veluti ex ea res penes eundem relinquatur. *§. interdum etiam. 44. d. t.* vel ſi alicui tradatur non res ipſa, ſed ſignum rei, aut ſimile, quo res ejus poteſtati & cuſtodiæ ſubijciatur. *§. hoc amplius, 46. & 45.* vel denique, ſi res aliqua pro derelicto habeatur, adeoque ultrò alij occupanda relinquatur. *§. qua ratione. 47.* non etiam ſi res aliqua urgente neceſſitate abijciatur, vel ab ignorante perdatur. *§. ult. d. t.*

23. JURIS CIVILIS acquirendi MODI SINGVLARES SVNT QVATVOR: ac PRIMVS quidem USUCAPIO, quæ eſt adjectio dominij per continuationem poſſeſſionis temporis Lege definiti. *l 3. ff. de Uſurpat.* Et procedit requiſitis iſtis: ut quis acceperit rem (per ſe ſic comparatam ut uſucapi poſſit, nec in ſe habeat aliquod vitium. *§. 1. & ſeqq. Inſtit. de Uſucap.*) à non domino: bonâ fide: ex juſta cauſa, eamque poſſederit, ſi quidem mobilis fuerit, per triennium: ſin immobilis per decem annos inter præſentes, per viginti autem inter abſentes: *princ. Inſtit. d. t.*

24. De quo modo iſta præcipuè noto: PRIMVM, quod ſit quidem modus acquirendi, ſed non abſolutè ac per ſe, ſed talis; qui ad alios, ratione potiſſimùm cauſæ efficientis (& quod author ille, à quo alter dominium acquiſiturus erat, ipſemet dominus non fuerit) vitioſos accedit & vitium ſive defectum eorum ſupplet, ex eo quòd inſuper etiam res illa, de cujus acquiſitione agitur, legitimo tempore fuerit poſſeſſa. *fac. l. Uſucapio. 3. in verbo* adjectio. *ff. de Uſurp. & Uſuc. Ampliß. Dn. Præſ. in prælection.*

25. DE-

25. Deinde quòd uſucapio, in lata ſignificatione accommodetur ad res tum mobiles, tum immobiles, ut patet *ex princ. Inſtit. de Uſucap. ibi: viginti annis uſucapiantur.* Frequentiùs autem & ſtrictè uſucapio ſumatur pro uſucapione tantùm rerum mobilium, & opponatur præſcriptioni longi temporis, ſive diutinæ poſſeſſioni in reb. immobilibus. *rubr. Inſtit. de uſucap. & long. temp. præſcr. §. diutina. 12. in fine eod.*

26. Tùm, quòd præſcriptio illa, quæ rerum immobilium eſt uſucapio, & lógi tḗporis prǽſcriptio dicitur, multùm differat & diſtinguḗda ſit ab illa prǽſcriptione, quæ longiſſimi temporis, triginta ſc. vel quadraginta annorum vocatur, & actionibus tũ realibus tùm perſonalibus (quæ breviori ſpatio incluſæ non ſunt) opponi ſolet. Nam longi temporis præſcriptio ſemper cõiũctam habet poſſeſſionem vel quaſi, ex qua oritur: præſcriptio autem longiſſimi temporis (quemadmodum & aliæ actionũ præſcriptiones) interdũ abſq; poſſeſſione ex ſolo tḗporis curſu oritur, ut quãdo objicitur actionib. perſonalib. *l. 3. C. de præſcript. 30. vel 40. annor.* itemque præſcriptio longi temporis, veluti ipſa uſucapio, plenum jus tribuit præſcribenti, ex quo is & actionẽ & exceptionem nanciſcitur. *l. Julianus. 17. §. ult. ff. de R. V. l. ſi quis. 8. princ. C. de præſcript. 30. vel 40. annor.* longiſſimi autem temporis præſcriptio ſive poſſeſſio non niſi utilem interdum actionem tribuit, aliàs verò & regulariter exceptionem tantùm producit. *d. l. 8. §. 1. C. de præſcript. 30. vel 40. annor.*

27. Quartò, quòd uſucapio propriè ſit tantùm rerum corporalium; quippe quæ ſolæ in dominio ſunt & poſſidẽtur.. *l. 1. §. 1. l. poſſideri. 3 ff. de acquir. poſſ. l. 4. §. ſi viam. 27 ff. de Uſurp.* atque ita ſervitutes, cùm tanquam jura & res incorporales poſſideri non poſſint, *l. 32. §. 1. in fin. ff. de ſervit. præd. urb.* nec uſucapi queant; *l. ſervitutes. 14 princ. ff. de ſervitut. l. juſto errore. 44. §. non mutat. 5. ff. de Uſurp.* Impropriè tamen & quodammodò, (cùm illarum quædam quaſi poſſeſſio ſit. *l. ſi quis. 10. princ. ff. ſi ſervit. vindic. l. ult. ff. de ſervitut.*) uſucapiantur: *d. l. 4. §. ult.* quatenus ſc. rebus corporalibus cohærent, & cum iis longa quaſi poſſeſſione acquiruntur. *d. l. ſi quis 10. l. ſi in aliena. 10. §. 1 ff. de Uſurp. l. ult. in fin. C. de præſcript. longi temporis.*

28. Quintò, quòd in præſcriptione longi temporis

B

ſicut & in uſucapione jure civili (canonico enim ſecus ſe habet. *c. ult. X. de præſcript.*) neceſſariò requiritur bona fides, tantùm ab initio (ſuperveniens enim mala fides cœptam uſucapionem nõ impedit. *l. bonæ fidei 48. §. 1. ff. de A. R. D. l. 2. §. ſi ſervus. 13. ff pro emptor*) quodque in pleriſque cauſis ſpectetur tempus traditionis: at in cauſa emptionis etiam tempus ipſius contractus. *l. 2. princ. ff. pro emptor. Ampliſſ. Dn. Præſ. in Diſput. Novo Juſt. 6. tit. 6. §. 4 & 5. & in Diſput. de celebri juris articulo, An & quatenus bonæ fidei poſſeſſor fructus acquirat & lucretur? §. 19.*

29. Sextò, quòd poſſeſſio uſucapientis debeat eſſe continua, non interrupta. *l. 3. ibi: per continuationem, ff. de uſurp.* adeò ut, ſi interrupta fuerit poſſeſſio, & poſtquam quis per annum. v. c. poſſederit, tùm poſſidere deſierit, indeque is iterum vel poſt eum alius (cuiuſtamen poſſeſſio præcedenti poſſeſſioni jungi poſſit) poſſidere cœperit, tunc non ampliùs uſucapio, ſed uſurpatio propriè vocetur, cuius complendæ causâ non tempus continuum, ſed illi tantùm articuli, quibus poſſeſſa res fuit, computentur. *l. Uſurpatio. 2. ff. d. t.*

30. Poſtremò, quòd, licet ſummo & ſtricto jure uſucapio ſine poſſeſſione procedere nequeat, ex benigna tamen ratione interdum procedat, ut patet ex *l. juſto errore. 44. §. nondum. 3. cum l. ſeq. §. 1. ff. de Uſurp. junct. l. cùm heredes. 23. ff. de acquir. poſſeſ. Coll. Jur. Arg lib. 41. tit. 2. §. 15. n 15. n. 11.*

31. SECUNDUS eſt DONATIO: de qua imprimis duo noto: I. Quod ea rectè referatur inter modos acquirendi juris civilis. *§. ult. Inſtit. de Uſu & habit.* Licet enim illa, ſimpliciter & in genere qualicunque modo facta, ad jus gentium referri poſſit. *§. per traditionem. Inſtit. de R. D.* eò quòd omnes gentes donationibus in genere & quomodocũque faciendis utantur, *arg. §. 2. Inſtit. de J. N. G. & C.* Romani tamen aſſumptas ex jure gentium donationes, additis ſolennitatibus nonnullis, & expreſsâ legislatione ad uſum ſuorum tantùm civium accommodarunt, adeòque eas Juris civilis effecerunt. *l. ult. C. de donat. & ibi not. Gothofr.* II. Quod eadem rectè referatur inter modos acquirendi ſingulares. *§. ult. Inſtit. per quas perſon. cuique acquir.* Etſi enim donari etiam poſſit univerſitas. *l. ſi quis. 35. § ſed etſi quis. 4. C. de donat.* non tamen ſemper univerſitas donatur, ſed etiam aliquãdo

do res ſingularis; quod ad arguendum modum ſingularem ſufficit: *§. ſed quia heredes. Inſtit. de fidei comm. hared. & tot. tit. C. de hered. & actio. vendit.* univerſales autem modi illi dicuntur, quibus non poteſt niſi univerſitas acquiri. *§. ult. Inſtit. per quas perſon. cuique acquir.*

32. Fit autem Donatio, vel TRADITIONE, eáq; tum VERA, quâ ſc. res ipſa corporaliter traditur & apprehenditur: tùm FICTA, puta ſi cui concedatur ſaxũ eximere. *l. qui ſaxum. 6. ff. de donat.* ſi emptionum inſtrumẽta tradantur *l. 1. C. eod.* ſi uſusfructus tantũ rei retineatur. *l. quiſquis. 28. C. d. t. &c.* vel STIPULATIONE, quâ ſc. donatario ſtipulanti donaturus quid promittit. *l. 2. in princ. & §§. ſeqq. & alibi paſſim. ff. d. t.* vel PACTO (legitimo *l. ſi quis. 35. §. ſed ſi quidem. 5. Nov. 162. c. 1. circ. fin.*) quo donaturus & donatarius abſque ſtipulatione vel ſcriptura ſimpliciter in donationis placitum conſentiunt. *l. 1. §. 2. ff. de pactis.* vel SIMPLICITER PRIVATA POLLICITATIONE *l. pactũ. 3. ff. de pollicitat.* ſeriâ tamen deliberatâq;, & quidẽ à donatario acceptâ & gratâ habitâ. *tot. tit. ff. de pollicitat. l. hoc jure. 19. §. 2. nulla ratio. 26. ff. de donat. l. ſi vero. 8. §. ſi ſervo. 3. de bon. libertor. Clariſſ. Dn. Praeſ. in praelect.*

33. Ex quibus deduco PRIMÙM, quòd Donatio malè à quibusdam definiatur per contractum. Quòd enim ea, quae per traditionem vel quaſi fit, non ſit contractus, certiſſimè, conſtat ex eo, quòd nullam obligationem producat. Quae autem ſtipulatione fit, ea non ipſa eſt contractus, ſed fit contractu, & contractûs eſt conſequens. Quae denique pacto aut pollicitatione fit, ea itidem non eſt contractus, nec conſequens contractûs, ſed conſequens cauſae contractui ſimilis. ut patet *ex l. legitima. 6. cum l. ſeq. §. 1. ff. de pact. & Nov. 162. c. 1. circ. fin.* niſi verbum contractus latiùs accipiatur, *ut §. 1. Inſtit. de action.* Neque tamen interim omni donationi nomen Contractus denego: eam enim quae propter nuptias & incompenſationem dotis fieri ſolet, cõtractum eſſe, dicique debere, evidens eſt *ex l. ult. in fin. princ. C. de don. ante nupt. Nov. 61. c. 1. §. 1. 2. 3. & Nov. 119. c. 1.*

34. DEINDE, quòd non omnis donatio ſit modus acquirendi, ſed ea ſola, quae traditione perficitur. *arg. l. traditionibus. 20. C. de pact. l. obligationum 3. princ. ff. de Oblig. & Act.* Et defi-

niri poteſt, quòd ſit actus, quo res aliqua conſultò & vel abſolutè vel relatè, in alterum transfertur. *l. Labeo. 19. de V. S. l. cujus per errorem. 53. ff. de R. I.*

35. TERTIVS eſt LEGATVM, & QVARTVS FIDEICOMMISSVM SINGVLARE. Qui utrique modi ex ultimâ voluntate dependent: & ratione formæ differunt in eo, quòd legatum directò & verbis diſpoſitivis ſive ad modum legis cuiuſdam præceptivis detur, ac immediatè ab ipſo teſtatore, velut ex bonis ſuis relinquatur. *l. legatum. 80. ff. de legat. 2. l. à Titio 64. ff. de furt.* nullo alio intermedio, præſtandum ſemper ab herede. *§. 1. Inſtit. de legat. pr. de ſing. reb. per fideicom. relict. fac. §. 2. Inſtit. de Codicil.* adeò ut ſi in modum legati quid ſit ab alio quàm ipſo herede præſtandum, tunc relictum valere quidem poſſit, verùm non jure legati, ſed fideicommiſſi. *arg. §. 3. Inſtit. de leg.* Fideicommiſſum autem obliquè & verbis precativis detur, & relinquatur mediatè & à perſona tertii alicuius, & velut ex bonis eius qui fideicommiſſo gravatur. *d. pr. Inſtit. de ſing. reb. per fideic. relict. l. ab eo. 9. C. de fideicom. l. fideicommmiſſum. 78. ff. de legat. 1.* idque interdum ab herede interdum ab alio, cui tamen ipſe fideicommittens priùs quid dederit aut reliquerit, præſtandum. *§. 1. Inſtit. de fideicom. hered. pr. §. 1. & ult. Inſtit. de ſing. reb. per fideic. relict.*

36. Ratione autem effectus legata & fideicommiſſa per omnia ſunt exæquata; adeò ut æquè & prorſus pariter ex cauſa fideicommiſſi atque ex cauſa legati dominium acquiratur, & quodcunque legatum valeat vel ut legatum, vel ut fidei commiſſum (ſi ſc. verbis legati relictum ut legatum tamen valere non poſſit) ac viciſſim, quodcunque fideicommiſſum valeat vel ut fideicommiſſum, vel ut legatum, utrolibet modo meliùs ac pinguiùs valere poteſt. *§. ſed non uſque 3. Inſtit. de legat. l. 1. & 2. C. commun. de legat.*

37. Tenendum autem quòd ex cauſa legati vel fideicommiſſi acquiſitio fiat ipſo jure, & ſtatim ſimulatque hereditas ab herede adita, & legatum à legatario agnitum fuerit. *l. ſi tibi. 86. §. cum ſervus. 2. ff. de legat. 1.* Hereditatis autem aditionem requiri, manifeſtè cõſtat *ex l. ſi nemo. 181. ff. de R. I.* Licet enim dies legati & fideicommiſſi quidem puri cedat ſtatim à morte teſtatoris,

toris, etiam ante apertas tabulas. *Gail. 2. obſ pract. 132. n. 2.* ut videlicet ad heredem legatarii vel fideicommiſſarii legatum vel fideicommiſſum transferri ſeu tranſmitti poſſit, adeò ut nulla mora, nec ſi antequā legatum conſequatur, moriatur, legatario noceat. *l. ſi poſt diē 5. pr. & §. iiſdē autē. 6. l. quod purè. 6. §. 1. & l. ſeq. pr. & 5. 1. ff quād dies legat. l. cū uxori. 4. C. eod.* (exceptis tamē iis legatis quę ad heredes legatarii nō trāſeūt, ut fit in uſu vel uſufructu legato. *l. 2. & 3. ff. d. t. l. un. § libertatib. 6. verſ except. C. de caduc. tollend.*) tamen non illicò etiam die cedente ſemper etiam venit dies, ſed tunc demum, quando hereditas adita eſt; aditio enim non quidem moram ceſſioni facit, facit tamen petitioni. *d. l. 7 pr. ff. quando dies legat.* Cùm omnia quæ teſtamentis ſine die vel conditione ſcribuntur, ex die aditæ hereditatis præſtentur. *l. omnia quæ. 32. ff. de legat. 2.* & herede non adeunte pendeant & deficiant legata *l. eum qui. 14. C. de fideic. Weſemb. in paratit. ad ff. tit. quando dies legat. in fin.*

38. Etſi autem ipſo jure hereditate aditâ (quæ aditio ad tēpus mortis retrotrahitur. *l. heres. 54. ff. de acquir. her.*) & legato agnito dominiū rei legatæ rectâ viâ à teſtatore trāſeat ad legatarium *l. legatum. 80. ff de legat. 2. l. à Titio. 64. ff. de furt.* tamen poſſeſſio eiuſdem, neque ipſo jure ad eum tranſit, neque propriâ authoritate contra voluntatem heredis à legatario occupari poteſt. *l. 1. §. 2. ff. quod legator. arg. §. 1, Inſtit. de legat.* non enim executio legatorum ſive ipſa alienatio omnimodò fit ab ipſo teſtatore, ita ut quàmprimùm ſit adita hereditas, retrò & à vivo adhuc teſtatore facta videri debeat, (quemadmodum fit in libertatibus directò datis quæ propterea etiam nomine legatorū propriè non veniunt) ſed eatenus tantùm quatenus poſt aditam hereditatem res in iſta cauſa reperitur, ut heres exequi voluntatem defuncti poſſit, vel debeat, vel (pro re nata) velit. *arg. §. 1, Inſtit. de legat. & patet ex tit. Inſtit. de leg. Falcid. junct. §. in fraud. 3. Inſtit. qui & quib. manum. Ampliſſ. Dn. Præſ. diſp. Novo Juſtin. 9. tit. 20. §. 7.*

39. De agnitione verò legatorum hoc maximè tenendum; quòd cùm ex cauſa legati tres naſcantur actiones, una Perſonalis ex obligatione & quaſi contractu, hęreditatis nimirum aditione. *§. hæres. 5. Inſtit. de oblig. quæ ex quaſi contract.* adverſus

hęredem competens. Altera in rem, ex ipſo dominio ſive jure in re legatâ acquiſito, cõtra quemcunque poſſeſſorem competens (ſi videlicet talis ſit res, quæ ſuâ naturâ vindicari poteſt. *l.1. ibi: quatenus eſt liceat. C. commun. de legat.* & quæ ipſius teſtatoris vel fidei committentis fuit. *arg.l nemo plus juris.54. ff. de R.I.*) & Tertia, hypothecaria, ex tacitâ hypothecâ, quam pro ſecuritate legati in rebus hæreditarijs legatarius habet. *§. 2. circa fin. Inſtit. de legat.l.1.in fin.C.commun.de legat.* quòd, inquam, actio quidem perſonalis, ſive legatum ratione Obligationis, legatario acquiratur ſtatim poſt aditionem, etſi is legatum ignoret, necdum agnoverit. *l.ſi à furioſo.24.in pr.ff. de O. & A.* Actio verò in rem ſive legatum ipſum ratione dominij, poſt ſolam aditionem acquiſitum dici non poſſit (niſi eatenus tantùm quatenus rem acquiſiviſſe dici poteſt qui eius perſequendæ causâ actionem acquiſivit. *l.is qui actionem 15.ff de R.I.* quomodo etiam loquitur & accipienda eſt. *l.filiusf.16.§.1.ff. qui teſtam.fac. poſſ.*) ſed ad iſtum effectum requiratur, ut etiam agnoſcatur legatum *l.ſervi.44.§.1. l.ſi tibi homo.86. §. cum ſervus. 2. ff. de legat. 1.* niſi favore perſonæ aliud & jus ſingulare inductum oſtendi poſſit, exemplo *l. magis puto.5.§.fundum.8.ff.de reb.cor.qui ſubtut.Ampliſſ. Dn. Præſ. in prælect.pub.*

40. Hactenus modos acquirendi ſingulares, & quantum ad eos ab alijs atque alijs diſcernendos, & quoad naturam, & efficaciam ſuam qualitercunque cognoſcendos, neceſſarium duxi, propoſui. Nũc ordo poſtulat, ut de MODIS ACQVIRENDI UNIVERSALIBUS agam, & inſigniora quædam capita, quæ in iſta acquiſitionis materia occurrunt, indicem. Sunt autem eorum QVATVOR; Hereditas nimirum, Bonorum poſſeſſio, Arrogatio, & Bonorum libertatum conſervandarum causâ addictio. *§.ult.Inſtit.per quas perſon.cuiq; acquir.*

41. HEREDITAS (definiente Gaio, & Juliano JCtis *in l.24.ff.de V.S. & l 62.ff. de R.I.*) nihil eſt aliud quam ſucceſſio in univerſum jus quod defunctus habuit. Eitque ex modo quo competit & offertur, alia *Teſtamentaria* vel *Quaſi* quæ ex teſtamento aliavè ultima voluntate pro arbitrio ac diſpoſitione teſtatoris heredi inſtituto, aliive hæredis loco ſubſtituto obvenit: Earumque alia Directa, quæ ex ipſa heredis inſtitutione & verbis

bis

bis teſtatoris diſpoſitivis ac præceptivis competit , & non niſi teſtamento dari poteſt: alia Fideicommiſſaria , quæ ex Verbis precativis & obliquè ad hæredem, ſive teſtamentarium ſive legitimum directis, competit, & non tantùm in teſtamento ſed & codicillis dari poteſt. *§.codicillis.2.Inſtit.de codicil.* Alia *Legitima.* (cui tamen locus eſſe non poteſt, quam diu teſtamentaria ſperatur. *l. quam diu.39. ff. de acquir.vel amittend.hered.*) quæ ex diſpoſitione legis, ſeu juris ipſius, ſanguine junctis & alijs nonnullis defertur. *§.ult.Inſtit.per quas perſon.cuiq; acquir.* Quibus duabus ſpeciebus addi poteſt & tertia , *Conventionalis* ſc. quæ Jure quidem Juſtineaneo incognita & improbata eſt. *l.hæreditas.5.C. de pacto Convent.* moribus autem & uſu hodierno recepta & cōprobata, ut videre eſt in confraternitatibus, unione proliū, pacto de mutua ſucceſſione conjugum &c.

42. Vt autem ad Hæreditatē ſeu ſucceſſionem aliquam teſtamentariam deveniri poſſit, omnium Primò requiritur, ut teſtamenti factionem (activam puta) habuerit is qui teſtari voluit. *l.ſi quæramus.4.ff.qui teſt.fac.poſ.* idque tam facti teſtamēti tempore, quam mortis. *l.1.§.exigit prætor.8.ff.de bon.poſ.ſecund. tabb.* excepto caſu captivitatis, quo teſtator mortis tempore teſtamenti factionem amiſiſſe, & nihilominus rectè teſtatus, propter jus poſtliminij, vel propter legem Corneliam, decedere poteſt *§. ult.Inſtit.quib.non eſt permiſ.fac.teſt.l.lege Corneliâ.12.ff.qui teſt fac.poſ.* & quadamtenus etiam caſu militiæ, ſive teſtantis militis. *l.miles.22.& ſeq.ff.de teſt mil.l.ſi quis.6.§. ult.ff. de injuſt. rupt. irr.* Habet autem quilibet teſtamenti factionem, qui nec naturâ, nec lege, teſtari nominatim eſt prohibitus. *arg.pr.Inſtit.quib. non eſt permiſſ.fac. teſt.*

43. Secundò requiritur, ut teſtamentum ſecundum regulas juris civilis, quæ formam teſtamenti continent, (unde & teſtamenti factio juri civili aſcribitur.) ſit factum, videlicet coram ſeptem idoneis teſtibus (quorum conditio tamen, dum ſignant, non mortis tempore ſpectanda eſt. *l. ad teſtium. 22.§. 1.ff. qui teſt.fac.poſ.*) iiſque ad actum hunc (qui uno contextu abſolvi debet. *l.hæredes palàm 21.§.ult.ff eod.*) ſpecialiter rogatis, vel certè fortuitò intervenientibus prius certioratis. *d. l. 21. §. 2.* & (in teſtamento ſcripto ſc.) unà cum teſtatore. *§. ſed cum paulatim.*

tim.3.Inſtit.de teſtam. (niſi is totum teſtamentum à ſe conſcriptum eſſe in teſtamento dixerit *l.cum antiquitas.28. §.1. C.de teſtam.*) vel eius nomine octavo teſte adhibito ſubſcribentibus. *l.hac conſultiſſima.pr.C de teſtam.l.ad teſtium.22 l.ſi quis 4. l.ſingulos teſtes.30.ff. eodem* ſubſcriptum denique ſigillorum (ſive eorundem, ſive diverſorum) appreſſione munientibus. *§ 3.&5. Inſtit.de teſtam.* vel omiſsâ etiam ſcripturâ & ſubſignatione teſtium (in teſtamento nuncupativo ſc) *§.ult.Inſtit.de teſtam.* nomine hæredis vivâ voce à teſtatore coram teſtibus expreſſo. *l. heredes 21.pr.ff.qui teſt.fac.poſ.*

44. Excipitur tamen & immune eſt ab hiſce ſolennitatibus & requiſitis juris civilis teſtamentum militis, jure militari teſtantis, quod quovis modo factum, dummodò factum probari poſſit, valet. *tot.tit.Inſtit.ff.& C.de teſtam.milit.*

45. Tertiò requiritur, hæredis inſtitutio, utpote quæ caput & fundamentum eſt, totius teſtamenti. *§.ante heredis.34. Inſtit.de legat.* & ſine qua nihil in teſtamento ſcriptum valet. *l. proximè.3.verſ.non poteſt ullum.ff.de his quæ in teſt.delent. l.1. §.3. ff. de vulg.& pupill.ſubſtit.*

46. Ut autem illa ritè facta videri poſſit, neceſſe eſt *Primum*, ut antequam ad extranei alicujus heredis inſtitutionem perveniatur, ſuorum heredum, h. e. illorum, qui ipſo jure & etiam vivo adhuc teſtatore, eius quodammodo heredes & rerum domini ſunt, exheredatio facta ſit, ſive illi ſui heredes jam ipſo teſtamenti facti faciendive tempore exiſtant, ſive poſtea quacunque ratione, tempore mortis teſtatoris exſtituri ſint. *tot.tit Inſtit.de exher. lib.*

47. *Deinde* ut & heres inſtituendus teſtamenti factionem paſſivam habeat, ſive quod idem eſt, ut talis ſit, qui heres inſtitui & ex teſtamento capere poſſit. *arg. l.1. C. de her.inſtit.pr. & §§. 6. priorib.& §. ult.Inſtit.eod.* & teſtator in modo inſtituendi, tùm quoad partes & diſtributionem hereditatis, tùm quoad tempus & conditiones, quę heredum inſtitutionibus interdum adijciuntur, judicium & voluntatem ſuam ita conformaverit, ut exitum habere poſſit. *§.hereditas.12.& ſeqq.Inſtit. d. t.*

48. *Tùm* ut in ſubſtitutionibus etiam (quæ nihil aliud ſunt, quam ſecundi ulterioriſve heredis inſtitutiones. *l. ex facto.*

43. §.

43.§.Lucius. 2.ff. de vulgar. & pup. ſubſtit.) eadem illa & præterea nonnulla ſingularia pro diverſitate modorum ſubſtituendi, ratione potiſſimùm ipſius ſubſtituentis, & eius cui ſubſtituitur, ſint obſervata. *de quibus in tit.Inſtit.de vulg.ſubſtit.& ſeq.*

49. Et *denique* ut inſtitutio ſubſtitutióve ita comparata ſit, ne iniqua cõtra heredes, aliàs legitimos, liberos nimirum, parentes, & (ſi turpes perſonæ inſtitutæ reperiantur) fratres, abſque juſta cauſa exheredatos aut præteritos videri queat. *tot. tit Inſtit. de inoff. teſt.*

50. QVARTÒ & POSTREMÒ requiritur, ut teſtator in eadem voluntate uſque ad mortem perſeveraverit. *§.2.Inſt.quib. mod.teſt.infirm.l.1.§.ſi heres. 8. ff. unde lib.* cùm voluntas defuncti ambulatoria ſit uſque ad vitæ ſupremum exitum. *l.4.ff. de adim. legat.*

51. Quòd ſi vel unicum iſtorum requiſitorũ deficiat, tunc teſtamentum eo nomine accuſari, demonſtratoque defectu obtineri poterit, ut non ex teſtamento & ſpeciali proviſione hominis, ſed ab inteſtato & communi diſpoſitione legis, hereditas deferatur: Ac ſi quidem primum requiſitum, ſive teſtamenti faciendi poteſtas, tempore facti teſtamenti defecerit; vel aliquid ratione ſecundi requiſiti defuerit; vel quoad tertium requiſitum, tempore ipſius teſtamẽti facti, ſuus heres fuerit præteritus, aut inſtitutus aliquis qui ex teſtamento capere non poſſit, aut inſtitutio ſubſtitutióve ſic facta, ut exitum habere non poſſit; teſtamentum dicetur injuſtum ac nullius momenti, quod ab initio non valuerit. Si verò primi requiſiti defectus aliquis poſt teſtamentum demum factum acciderit, teſtamentum dicetur irritum: ſin quoad tertium aut quartum, defectus aliquis poſtea demum acciderit, teſtamentum dicetur ruptum. *tot. tit. Inſtit.quib.mod.teſt infir.l.1.& paſſim.ff.de injuſt.rupt. irr.*

52. Uſus autem dictæ hujus differentiæ eſt iſte, ut ſciamus, quòd ſiquidem ratione initij ac tempore teſtamenti facti ejuſmodi defectus apparuerint, jam teſtamentum nullo modo convaleſcere poſſit. *l. qui ab initio. 29. ff. de R.I.* Si verò poſtea demum tale quid acciderit, ex quo teſtamentum irritum aut ruptum dici poſſet; ſed tamen maturè & antequam moreretur teſtator, iterum defecerit; jam teſtamenti vitium ſanatum intelli-

C

gi poſſit, *ut videre eſt ex §. non tamen. 6. Inſtit. quib. mod. teſt. infirm. l. poſtumus. 12. ff. de injuſt. rupt. irr.*

53. Obſervandum autem hîc eſt, quòd referat ratione tertii requiſiti; utrùm teſtamentum iniquitatem quandam propter exheredationem aut præteritionem heredis aliâs legitimi habeat, an verò alio quovis modo, ſive ratione initii ſui nullum aut injuſtum, ſive ex poſt facto mortem ipſius teſtatoris attingente, irritum ruptumvè dici poſſit. Propter prius enim illud iniquitatis vitium teſtamentum adhuc ipſo jure valere, ſed inofficioſum eſſe, dicetur, quod non per ſe & ex diſpoſitione juris, ſed per querelam demum ſuper eo inſtitutam, & ex ſententia judicis id damnantis ac reſcindentis. infirmabitur: propter reliqua autem vitia teſtamentum ipſo jure non ſubſiſtere, ſed ipsâ legis ſententiâ damnatum exiſtimabitur. *Ampliſſ. D. Præſ. in prælect.*

54. Quod diſcrimen obſervaſſe quàm maximè conducet. PRIMÒ, ut non ignoremus querelam iſtam inofficioſi teſtamenti non quovis tempore inſtitui poſſe, ſed tempeſtivè & intra ſtatutum tempus: adeò ut niſi intra quinquennium (ab adita ſc. hereditate computandum, *arg. l. Papinianus. 8. §. ſi conditionem. 10. ibi: quoniam ante aditam &c. ff. de inoff. teſt.*) inſtituta fuerit, ampliùs inſtitui non poſſit. *l. ſi quis filium. 34. in fin. C. de inoff. teſt.* propter reliqua autem vitia teſtamentum accuſari poſſit perpetuò, quia ſcilicet lex perpetuò loquitur, & ſtatim ab initio vel morte teſtatoris teſtamentum damnaſſe videri poteſt, *arg. l. non dubium. 5. C. de legib.* Deinde ut ſciamus, quòd ex teſtamento inofficioſo, etiam reſciſſo, legata nihilominus & reliqua omnia quæ in eo diſpoſita ſunt, debeantur & valeant, ſolâ heredis inſtitutione infirmatâ. *Nov. 115. c. 3. & 4. utrobique circa fin.* quibus in locis abrogatur jus vetus, quo poſt ſententiam judicis contra teſtamentum pronũciantis, ipſo jure reſcindebatur teſtamẽtum, nec quicquam ex eo debebatur aut valebat. *l. Papinianus. 8. §. ſi ex cauſa. 16 l. cùm mater. 28. in fin. ff. de teſt. inoff* Ex teſtamento autem propter reliqua vitia à lege ac ipſo jure damnato, etiamnum hodiè nihil debeatur, aut valeat, ſed per omnia res ad cauſam inteſtati redigatur. *fac. d. l. 8. §. 16. ff. de inoff.*

off. teſt. l. filio. 17. ff. de injuſt. rupt. irr. pr. Inſt. de hered. quæ ab inteſt.

55. Hactenus autem enarrata teſtamentorum requiſita ſufficiunt ad hoc, ut teſtamentũ per ſeipſum tale ſit, ut ex eo hereditas acquiri poſſit: ut verò ea omninò ex eo acquiratur, requiritur & hoc amplius, ut ſc. heres inſtitutus etiam hereditatem ſubeat, adeóque ipſo facto heres exſiſtat: hoc enim, niſi fiat, teſtamentum deſtitutum & eodem modo irritum dicetur. *pr. Inſtit. de hered. quæ ab inteſt. l. 1. in fin. ff. de Injuſt. rupt. l. ſi nemo. 181. ff. de R. I.*

56. In ipſa verò illa hereditatis ſuſceptione attendendum præcipuè ad heredum differentias & qualitates. Pro harum namque diverſitate, diverſus etiam modus hereditatem ſuſcipiendi & acquirendi intelligendus eſt.

57. Sunt autem differentiæ & qualitates iſtæ triplices. Alii enim ſunt heredes neceſſarii ſimpliciter, ut ſervus ipſius teſtatoris heres inſtitutus, qui ſive velit ſive nolit, protinus poſt mortem teſtatoris liber & (ipſo jure ſine aditione ac abſque ullo facto ſuo, *§. 2. verbo protinus. Inſtitutio. de hered. qual. l. ſi poſt mortem. 68. §. 1. ff. de legat. 1. l. ſi ſervum. 71. §. 1. ff. de hered. inſtit.*) heres eſſe, & hereditatem etiam damnoſam, æréque alieno ſupra modum gravatam ſuſcipere, & venditionem etiam rerum hereditariarum ſuo (non defuncti) nomine faciendam pati cogitur, nec ullo modo abſtinere poteſt. *§. 1. Inſtit. de hered. qual. & diff.* Alii, ſui & neceſſarii, ut liberi ipſius teſtatoris, immediatè in eius poteſtate conſtituti, qui ipſo quidem jure & abſque omni facto ſuo heredes ſunt & eſſe coguntur, verùntamen ex beneficio prætoris abſtinere poſſunt. *§. 2. Inſtit. d. t.* Dicũtur autem ſui, quia domeſtici ſunt, & vivis adhuc parentibus quodammodò domini videntur rerum hereditariarum, etiam tum, cùm ab inteſtato ſuccedunt (ita ut aditione opus non habeant) *l. in ſuis. 14. ff. de ſuis & legit. hered.* Neceſſarii autem vocantur, quia omninò coguntur eſſe heredes, niſi beneficio prætoris utantur. *l. neceſſariis. 57. pr. ff. de acquir. hered.* Alii denique voluntarii & extranei, (quales ſunt reliqui omnes, ſive planè ſint extranei; ſive liberi quidem teſtatoris, verùm non in ipſius poteſtate; ſive ſervi eius, qui tamẽ libertatem nõ ex ipſo teſtamento conſequuntur. *l. ven-*

tre.34. ff. de acquir. her.) qui non niſi liberâ voluntate ſuâ hereditatem ſibi delatam acceptant & acquirunt. §. *3. Inſtit d. t.*

58. Extranei itaque voluntatem demùm ſuam facto aliquo, & vel ſolenni ac legitimo actu (aditionis nimirum *l. actus legitimi. 77. ff. de R. I.*) vel qualicunque pro herede geritione (quæ ab hereditatis aditione differt in eo, quòd illa ſolenniter, hæc abſque ſolennitate fiat. *d. l. 77.* adeòque etiam ſibi invicem opponuntur. *l. ſi quis. 25. §. ſed quid ſi. 7. ff. de acquir. hered.* quávis ratione effectus conveniant, indéq; & pro iisdem ſumantur *in l. non juſtam. 4. C. ad SC. Trebell.*) quâ nimirum actum aliquem hereditarium agunt, & ad inſtar heredis ac domini res hereditarias attingunt & tractant. *l. pro herede. 20. ff. de acquir. hered.* vel denique verbis declarando, hereditatem acquirunt. *d. §. 3. Inſtit. de hered. qual.* modò circúſtancias neceſſarias ſciant, *l. heres. 23. §. 1. & 2. ff. de acquir hered.* & quid agant intelligant. *l. pater. 93. §. 1. d. t.* Ita planè, ut in neceſſariis quidem heredibus acquiſitio hereditatis ex teſtamento fiat eo ipſo quo teſtamentum per omnia rectè ſe habet, ex eóque hereditas defertur. (vivis nempe ſervis eo tempore, quo teſtator moritur, neque enim defunctis iis aut defunctorum eorum heredibus, hereditas defertur. *l. un. §. in noviſſimo. 5. C. de caduc. tollend.*) In ſuis autem heredibus acquiſitio illa fiat cum effectu eatenus, quatenus ii hereditati ſibi delatæ ſeſe immiſcent. In extraneis denique eadẽ illa acquiſitio contingat, quando ii hereditatem ſibi delatam adeunt, aut aliud quid quod pro aditione eſſe poſſit, agunt. *ſupr. dict. locis.*

59 In extraneis inſuper heredibus, ad hoc, ut hereditatem acquirere poſſint requiritur & hoc ampliùs, ut teſtamenti factionem (paſſivam ſc. quæ in ſervis ex perſona dominorum æſtimatur) non ſolùm tempore facti teſtamenti & mortis teſtatoris (quod etiam in heredibus ſuis ſpectatur. *l. 1. ff. de reg. Caton. l. non oportet. 52. ff. de legat. 2. junct. l. in ſuis. 12. ff. de ſuis & legit.*) ſed etiam adeundæ hereditatis. §. *in extraneis. 4. Inſt. de ſuis & legit. her* quæ autem intra hæc ſunt tempora intermedia, non conſiderantur hic *l. ſi alienũ. 49. §. 1. ff. de hered. Inſtit. l. filiusf. 16. pr. ff. qui teſt fac. poſſ. l. debitor, 82, §. ult. ff. de legat. 2. add. C. I. A. lib. 28. tit. 5. θ. 3. 4.*

60. Ob-

60. Obſervandum autem hîc eſt: Primùm, quòd etſi in ſuis neceſſaria nō ſit hereditatis aditio, ex abundanti tamen etiā ab iis fieri poſſit. *l. ſi duo. 35. ff de acquir. her. exempl. l. is qui inpoteſtate. 15. pr. ff. de legat. præſtand.* Deinde, quòd abſtinere hereditate videantur ſui heredes eo ipſo, quo ſe non immiſcent aut implicant rebus hereditariis: nec opus habeant ad iſtum effectum vel aditione prætoris. *l. eum qui. 12. ff. de acquir. hered.* vel aliâ teſtificatione. *l. 1. C. ſi min. ab hered.* quanquam majoris ſecuritatis causâ hæc adhiberi ab iis poſſit ac debeat, maximè ſi in actu verſentur, qui pro actu hereditario haberi poſſet. *l. pro herede. 20. §. 1. ff. de acquir. hered.*

61. Ne autem heredes ſui immixtionem ſive non-abſtentionem, & extranei aditionem (quòd fieri potuiſſet) diutiùs ſuſpenderent, adeóque actiones creditorum hereditariorum nimiùm differrent: ideò utriſque tempus deliberandi datum ac præfinitum eſt, intra quod animum ſuum de ſubeunda vel nō ſubeunda hereditate aperirent. *l. filius. 9. ff. de jur. delib.* quod tēpus de jure Juſtinianeo eſſe annum, patet *ex l. cum in antiquioribus. 19. C. de ſuis & legit. hered. C. I. A. lib. 29. tit. 2. θ. 46.* quanquam communis & frequens Dd. Schola & praxis iſtud ad triginta uſque annos extendat. *Hart. Piſtor. 2. q. 8. n. 3. 35. & 36.*

62. Sicut autem is qui hereditatem ſemel adiit, vel ſeſe ei immiſcuit, poſtea repudiare vel abſtinere non poteſt, ita etiam viciſſim ille qui ſemel hereditatem repudiavit, vel ab ea ſeſe abſtinuit, poſtea ad eandem non admittitur, niſi minor reſtituatur. *l. 1. & 2. C. ſi ut omiſſ. hered.* vel, ubi de majore agitur, res hereditariæ in eodem adhuc ſtatu reperiantur, & intra tempora deliberādi ejuſmodi regreſſus petatur. *l. ult. C. de repud. hered. d. l. 8. ff. de jur. delib.* Aliis enim iſto reſtitutionis modo non ſuccurritur, ſed conceſſum eſt iis aliud beneficium, Inventarii ſc. quo facto, protinùs & ſine ulteriori deliberatione hereditatem adire poſſunt ita, ne ultra vires hereditarias teneantur, cum aliâs in ſolidum obligarentur *l. ult. C. de jur. delib.*

63. Quòd ſi porrò iſta omnia rectè ſeſe habeant, & heres in teſtamento ſcriptus etiam hereditatem ſubierit; adeóque acquiſitionem eius jam plenè perfecerit, illud conſequens eſt, ut non modò quod defunctus, dum in vivis erat, debuit, ipſe

ſolvat, verùm etiam legata & fideicommiſſa, quæ moriēs ille aliquib. legavit, præſtet. *arg. l. hereditas. 62. ff. de R. I. l. ul. per tot. præcipuè autem §. fin autem. 14. C. de jur. delib. §. heres quoque. 5. Inſtit de oblig. quæ quaſi ex contract.*

64. Et ſtricto quidem jure heres, qui ſimpliciter hereditatem ſubiit, obſtringitur æri alieno, quo defunctus tenebatur ſolvendo, etiam in ſolidum, ſive bona hereditaria ſolutioni iſti ſuffecerint, ſive non. Veruntamē ex conſtit. Juſtiniani beneficium illud habet, ut non niſi quoad vires hereditarias teneatur, ſi videlicet non ſimpliciter ſed cum inventario, & factâ priùs rerum hereditariarum deſcriptione hereditatem ſuſceperit. *d. l. ult. C. de jure delib.*

65 Licet autem regulariter quidem legata & fideicommiſſa, eáque omnia heres præſtare teneatur: tamen ſi ea vel totam hereditatem exhaurirent, vel etiam ultra dodrantem. h. e. tres quartas gravarent, conceditur ei per legem Falcidiam, ut de legatis ac fideicommiſſis detrahat atque retineat, quantum quartæ iſti vel de integro conſtituendæ, vel in deficiente parte, ſupplendæ, neceſſarium eſt. *tot. tit. Inſtit. de l. Falcid.* Quod verò hic de quarta dicitur, olim quidem indiſtinctè in cujuſque generis heredibus obtinebat, de jure verò noviſſimo obtinet tantùm in heredibus iis qui ſunt extra eos, qui querelam inofficioſi movere poſſunt. h. e. extra liberos & parentes, & in caſu turpium perſonarum inſtitutarū extra fratres ſororésvè; in his verò, qui de inofficioſo agere poſſunt, loco quartæ computanda eſt interdum tertia, interdum dimidia, ejus nempe portionis quæ ab inteſtato eis potuiſſet debuiſſetque obvenire. *Nov. 18. c. 1. & Nov. 39. c. 1. Ampliſſ. Dn. Præſ in prælection.*

66. Diligenter autem hic notandum, quod quæſtio de legatis ac fideicommiſſis præſtandis, ſimiliterque de quarta hereditatis quam heres retinere poſſit, computandā, locum habeat tùm demum, cùm priùs omne æs alienum funeris impenſa, pretia ſervorum manumiſſorum adeóque omne id quod extra bonorum quantitatem eſt, deductum eſt: ac tunc demum diviſio iſta ſic inſtituenda ſit, ut quadrans bonorum apud heredem remaneat. *arg. l. ſubſignatum. 39. §. 1. ff de V. S. l in quantitate. 73. §. ult. ff. ad leg. Falcid.* adeò ut & ipſe heres id quod ſibi debebatur

batur à teſtatore poſſit detrahere, niſi teſtator id prohibuerit. *l.ſi debitor.12.ff.ad leg.Falcid.* Deinde, quòd detractio illa ex lege Falcida olim à teſtatore prohiberi non potuerit. *l.quod bonis.15. §.1.& ult.l.Sejus.27.ff.ad leg.Falcid.l. ſicut allegas.11.C. eodem.* hodiè autem poſſit *Nov.1.c.2.§.2.verſ.ſi verò expreſſim.* Atque hæc de hereditate teſtamentaria.

67. Fideicommiſſaria porrò hereditas fieri intelligitur, quando heres à defuncto rogatur hereditatem, vel totam, vel pro parte alii reſtituere: Et jus atque effectum hunc habet, ut heres omninò parere, eamque reſtitutionem facere cogatur: hoc tamen diſcrimine, quòd ſi ultrò ſubeat hereditatem, nunquam eam totam, vel omnem eam partem quæ ad eum pervenit, reſtituere cogi, ſed ejus partem quartam ad minimum (vel interdum legitimam, quartâ majorem. *Novell.39.c.1. Nov.18.c.1.*) retinere poſſit, eâque retentâ onera & commoda hereditaria pro ratione portionis reſtitutæ retentæque cum fideicommiſſario, cui reſtitutio facta eſt, communia habeat: ſin verò non ultrò ſubire hereditatem, eámque etiam pro parte tantùm reſtituere velit túc petente ſic fideicommiſſario eam etiam nolens ſubire, & omnem reſtituere cogatur, periculo ejus, cui hereditas reſtitui eſt juſſa; indeque omnia onera perinde ac commoda ad ſolùm fideicommiſſarium, cui reſtitutio eſt facta, pertineant. *tot.tit.Inſtit.de fideicom. hæred.*

68. Hactenus de primo diviſionis ſupr. §.41. propoſitæ membro; ſuccedit alterum, quod eſt de Hereditate legitima, quæ in genere eſt duplex: una Ingenuorum aut Libertinorum extra relationem ad patronos conſideratorũ: altera Libertorũ.

69. In hereditate Ingenuorum reſpiciendũ eſt ad duos ordines; quorum Primus eſt ſuorum heredum, h.e. immediatè in poteſtate defuncti exiſtentium. *§.2.Inſt de hered.quæ ab inteſt. & §.ſui autem.2.Inſt.de hered qual* & eorum qui inter hos computãtur, quales ſunt ferè omnes liberi, in relatione ad parentes maſculini ſexus, ſive ſint naturales & legitimi, ſive legitimi tantùm (arrogati ſc & adoptati à non extraneo. *§.ſed hodiè.2.Inſt.de adopt.l.pen.C.eod §.ſed ea omnia.14.Inſt.de hered.quæ ab inteſt.*) ſive legitimati. *d.§.2.Inſt.de hered quæ ab inteſt fac. §. ult. Inſt. de nupt.* itemque ſive jam nati, ſive in utero fuerint eo tempore, quo defun-

functusmoriebatur; in ea tamen cauſa exſiſtentes, ut tùm nati, immediatè in ipſius poteſtate futuri fuiſſent. *d. §. 2. Inſt. de hered. qua ab inteſt.* Secundus eſt Agnatorum. h. e. per virilis ſexus cognationem conjunctorum, nec capite minutorum. *§. 1. Inſt. de legit. agnat. ſucceſſ. §. 1. & ult. Inſt. de legit. agnat. tut. l. JCtus. 10. §. 2. ff. de grad. l. 4. §. 2. ff. eod.* & eorum qui inter hos computantur, quales ſunt liberi in relatione ad parẽtes fœminini ſexus, & contrà, licet etiam poſt mortem patris naſcantur. *d. §. 1. & l. qui in utero. 7. ff. de ſtat. hom.* itemq́ue licet per adoptionem tantum ſint agnati. *l. per adoptionem. 23. ff. de adopt. l. 4. §. 2. ff. de grad.* Ultra verò agnatos hereditas nullorum eſt: ſed quæ poſt eos datur cognatis, & poſt cognatos viro & uxori, ſucceſſio prætoria, & bonorum poſſeſſio eſt, non hereditas; quippe quæ extra jus civile nulla intelligi poteſt: quanquam progreſſu temporis & ex conſtitutionibus Imperatorum (quæ juris civilis portio ſunt) cognatorum quædam hereditas ſit effecta, ut paulò inferiùs dicam.

70. Hic verò quatuor præcipuè notanda veniunt. I. quòd agnati & cognati intelligendi ſint non tantùm ij, qui in ſtatu libertatis exſiſtentes ſibi ſanguine juncti eſſe cœperunt, verùm etiam ij quorum communio ſanguinis eo tempore, quo adhuc in conditione ſervili erant, initium ſumſit. *pr. Inſt. de ſervil. cogn.* II. Quòd ordines iſti ita ſeſe invicem ſubſequantur, ut quàmdiu quis in primo reperitur, tam diu nemo ex ſecundo, & quamdiu quis eſt in ſecundo, nemo ex tertio cognatorum (quem ex jure prætorio huc aſſumo) admittatur: atque ita in materia ſucceſſionis, non tàm ad proximitatem graduum quàm prærogativam ordinum ſit reſpiciendum: quatenus ſc. is qui in digniore eſt ordine ſed gradu remotiore, præfertur alij, qui in gradu proximiori, ſed ordine minùs digno eſt. *§. ult. Inſt. d. t.* III. quòd in primo quidem ordine nulla ratio proximitatis aut graduum habeatur, ſed omnes liberi, quotocunque & licet in diſpari gradu ſint, pariter admittantur, dummodò in ſua linea ad eum, de cujus ſucceſſione quæritur, ducendâ, ante ſe alium non habeant; ita ut. v. g. filius & nepos ex alio filio (prædefuncto tamen) & pronepos ex tertio filio, indeq́ue deſcendente nepote (prædefuncti tamen) pariter ſuccedant, perpetuo jure repræſentationis, & in ſtirpes, h. e. ut liberi quique in parentum ſuorum

rum locum intrent, & tantam partem accipiant, quantam parens ipſorum accepturus fuiſſet. *§. cum filius. 6. Inſt. de hered. qui ab inteſt.* In ſecundo verò & tertio ordine ſucceſſio fiat ſecundùm prærogativam graduum, & proximi quique alios remotiores excludant, in ordine quidem agnatorum in infinitum *pr. & §. cæterû.3. Inſt. de legit. agnat. ſucceſſ. hered. l. 2. §. 1. in fin. ff. de ſuis & legit.* In ordine verò cognatorum ad gradum uſque ſextum, &, quoad ex ſobrino ſobrinavè natum, ad ſeptimum tantùm. *§. ult. Inſt de ſucceſſ. agnat. l. 1. §. 3. ff. unde cognat.* Poſt hunc ſextum autem & ex parte ſeptimum cognatorum gradum, locus fiat, ex jure prætorio quarto ordini, Unde vir & uxor, & conſequenter fiſco. *d. l. 1. pr. ff. quis ord. in poſſ. & d. l. 1. C. de bon. vacant.* IV. & poſtremò, quod propoſita modò doctrina mutata ſit in aliquibus jure Juſtinianeo noviſſimo Nam primus quidem ordo antiquo ſuo modo relictus eſt, & nomen tantùm generalius accepit, ut nimirum vocetur deſcendentium ſeu liberorum. Pro ſecundo autem conſtitutus eſt ordo aſcendentium ſive parẽtum, & pro tertio denique (quem cognatorum ex jure prætorio dixi) ordo collateralium, ſive aliorum quorumcunque tùm cognatorum tùm agnatorum promiſcuè & abſque ulla differentia ſumptorum: Et ſubſequuntur ſeſe invicem ordines iſti hoc modo; ut quamdiu aliquis deſcendentium reperitur, aſcendentium nemo ad ſucceſſionem pervenire poſſit. Deficientibus autem deſcendentibus (quorum primus eſt ordo) parentes ipſius defuncti gradu quocunque proximi, non habitâ ratione ſexus & agnationis ſeu poteſtatis, ſecundo ordine ſuccedant, & quidem ſoli præ collateralibus (quorum tertius demum eſt ordo) niſi defuncta perſona fratres vel ſorores, etiam utrinque conjunctos reliquerit, tunc enim iſti fratres & ſorores admittuntur una cum parentibus in capita. *Nov. 118. c. 2.* fratres, inquam. & ſorores ipſius defuncti, non etiam filij eorum. *d. Nov. c. 3. verſ. ſi autem cum fratribus*; quanquam hoc ipſum ad eas quoque perſonas extenſum ſit, *per Nov. 127. c. 1.* quæ etiam fratrum vel ſororum filios cum aſcendentibus admittit in ſtirpes. In tertio denique ordine indiſtinctè & in infinitum ſucceſſio fiat, ſecundùm graduum prærogativam, ita ut proximi quique alios remotiores excludant, fratrum tantùm liberis primi gradus exceptis, qui

D

cum propriis thiis concurrentes ſimul cum iis ſuccedunt, etſi uno gradu remotiores ſint quàm illi, *ut patet ex tot. Nov.118.& Nov.127.c.1. Amphiſ. Dn. Præſ. in prælect.*

71. Addo & illud quòd dicta de ſucceſſione ſeu hereditate parentum & liberorum &c. ita expeditè procedant & obtineant, quando liberi ex legitimo matrimonio prognati, vel per matrimonium ſubſequutum, aut reſcriptum principis (*l. cùm quis.10.in fin.C.de nat.lib.Nov.89.c.9 in fin.*) legitimati proponuntur: aliter autem jura ſeſe habeant in ſucceſſione ſpuriorum ſive vulgò quæſitorum, & naturalium tantùm, & legitimorum tantùm, & per oblationem curiæ legitimatorum. Nam in ſpuriis quidem & naturalibus tantùm quoad matrem & cognatos maternos hæc ſimiliter obtinent. *§.ult.Inſt.de SC. Tertull.l.1.§.2. ff. unde cognat.* (excepto caſu *l. ſi qua illuſtris.5. C. de SC. Orphit. arg.Nov.89.c.13.*) quoad patrem autem diſtinguendum eſt, quòd ſpuriis is planè non ſuccedat: utpote cùm prorſus ignoretur. *arg. l.quia ſemper.4.ff. de in jus voc.* Naturalibus autem ſuccedat ipſe tantùm pater (non alii ejus agnati) in duabus tantùm unciis *arg. Nov 89.c.13.junct.c.12. ejusdem Nov.* In Legitimis etiam diſtinguãdum eſt: Nam adoptatis non extraneis pater adoptivus, ejuſque agnati (non etiam mater vel cognati, utpote qui nulli per adoptionem eſſe poſſunt) ſuccedunt, perinde ac parentes naturales & legitimi; adoptatis autem extraneis parentes adoptivi, eorumq́; agnati, non ſuccedunt: arrogatis denique ita demum pater adoptivus, ejuſq́; agnati (non cognati) ſuccedunt, ſi illi moriantur puberes. *l.pen.C.de adopt. §.3.Inſt. eod.* Legitimatis deniq; per oblationem curiæ ſuccedunt tantùm ipſi patres, non alii eorum agnati. *arg.Nov.89.c.13.junct.c.4.ejuſd.Nov.* Et viciſſim.

72. In hereditate autem LIBERTORUM ante omnia inſpiciendum eſt, quantæ ſint facultates libertorum, de quorum ſucceſſione quæritur. Nam ſi minores ſint centenariis, tunc ſiquidẽ teſtamenta faciant, patronos licitè præterire poſſunt, ſi inteſtati deceſſerint, & nullos liberos reliquerint, tunc patroni iis ſuccedunt, & quidem in totum: ſin liberos reliquerint, tunc liberi patronos excludunt. Si verò majores ſint centenariis, & deceſſerint liberis relictis, tunc liberi (niſi ab ipſo patre teſtamẽto ſint excluſi) patronos ſimiliter excludunt: ſin deceſſerint

ſine

ſine liberis,nec teſtamentum fecerint, tunc patroni in totum ſuccedunt: ſi verò teſtamentum fecerint,& patronos præterierint,heredibus inſtitutis extraneis;tunc patroni, ſi nihil eis teſtamento ſit relictum,per bonorum poſſeſſionem contra tabulas partem bonorum hereditariorum tertiam: aut ſi aliquid, minus tamen parte tertiâ relictum ſit,reliquum quod replendę iſti tertiæ ſuffecerit, per condictionem ex lege juſtiniani conſequi poſſunt. *tot. tit. Inſt. de ſucceſſ. libert.* Et quæ de patronis dicta ſunt,eodem modo & de eorum liberis(qui ſi plures ſunt,omnes peræquè & æqualiter ſuccedunt,niſi pater uni ex iis ſpecialiter libertum aſſignaverit,ut is tantùm, cui aſſignatio eſt facta, ejus patronus ſit,& ſucceſſionem ejus conſequatur) & cognatis ex latere ad quintum uſque gradum,ſunt accipienda. *§. ſed noſtra. 3. ff. d. t.*

73. Communiter autem circa iſtas hereditates & ſucceſſiones legitimas omnes obſervandum eſt, quod acquiſitio earum fiat nō eo ipſo quo ex legibus huic vel illi deferuntur,ſed quo ab eo cui deferuntur, etiam agnoſcuntur, & ipſo facto ſuſcipiuntur;id quod pro diverſitate heredum diverſimodè,& vel non-abſtinendo vel adeundo contingit, *ut ſupr. θ. 55. & ſeqq. indicavi* Atque hæc de primo eoque ampliſſimo & latiſſimo per univerſitatem acquirendi modo pro ratione inſtituti mei dicta ſufficiant.

74. ALTER MODUS per univerſitatem acquirēdi, ſupra indicatus,eſt BONORVM POSSESSIO; quâ eodem ferè modo quo per ipſam hæreditatem acquiſitio contingit;ideoque ei valdè affinis,& in pleriſque eſt ſimilis; *ut manifeſtum eſt ex l. 3. in pr. & §§. duob. ſeqq. ff. de bonor. poſſ.* Utrique enim hi modi ſunt, quibus defuncti alicuius bona ad ſucceſſorem devolvuntur.Differunt tamen præcipuè ratione cauſæ efficientis,eo quòd hæreditas deſcendat ex legibus & jure civili: Bonorum verò poſſeſſo ex edicto ſive jure prætorio.Deinde,quòd latior etiam ſit via ſuccedendi per bonorum poſſeſſionem quàm per hereditatem in eo,quòd omnes quidem qui ad hereditatem venire poſſunt, iidem etiam bonorū poſſeſſionem petere poſſint,non contrà, ſed qui heredes non fieri,ſeu ex jure civili admitti non poſſunt,bonorum poſſeſſores fieri, & ex jure pretori-

rio ſuccedere poſſint.*pr.Inſt.de bonor.poſſ.*

75. Obſervandum hic autem, quòd maximum ſit diſcrimen inter poſſeſſionem ſimpliciter, ſeu poſſeſſionem rerum qualemcunque, *de qua agitur in tit. de acquir.poſſ.* & bonorum poſſeſſionem, quæ eſt huius loci. Illa enim ipſum factum poſſidendi vel detinendi denotat, & ſine corpore propriè loquendo nulla eſſe poteſt. *l.1.§.3.l.poſſideri.3.pr.ff.de acquir.poſſ. l.3.§. hereditatis.1.ff.de bonor.poſſ.* Hæc verò ipſum jus illud ſignificat, quo quis defuncti alicuius bona, ad inſtar hereditatis, ſine ullo corpore, juris intellectũ habẽtia, perſequi ac retinere poteſt. *d.l.3.§.1.& ſeq.* dominium magis quàm poſſeſſionem tribuens ei, qui eam accepit: ita tamen ut res hereditariæ ab alio univerſali titulo poſſeſſæ, per hereditatis petitionem poſſeſſoriam; poſſeſſæ autẽ titulo ſingulari, ſimpliciter ab eo peti & vindicari, adeoque etiã poſſeſſio earundem impetrari poſſit, *quò pertinet tit.de poſſeſſor. hered.petit.*

76. Sicut autem hereditas alia eſt ex teſtamento, alia ab inteſtato, ut ſuprà dictum, ita etiam bonorum poſſeſſio alia eſt Ex Testamento, quando ſc. tabulæ teſtamenti extant; eaq; rurſus vel ſecundùm tabulas (cùm videlicet eæ tales ſunt, quæ per ſe & ipſo jure ſubſiſtunt, nec iniquitatem quandam heredis præteriti continent) quæ datur heredibus in teſtamento ſcriptis, & exſecutio quædam eſt teſtamenti, ſimilitudinem habens cum hereditate ex ipſo teſtamento delatâ, *tot.tit.ff.de bonor.poſſ.ſec. tabb.* vel contra tabulas (quando ſc. iſtæ per ſe quidem juſtæ ſunt, ſed tamen iniquitatem quandam heredum, liberorum nempe emancipatorum, parentum qui emanciparunt, & patronorum, præteritorum continent) quæ datur in teſtamento iniquè præteritis, & reſciſſio quædam eſt teſtamenti, ſimilitudinem habẽs querelæ & reſciſſionis ex cauſa inofficioſi factæ. *tot. tit. ff. de bonor.poſſ.contr.tabb.* Alia verò Ab Intestato, quando ſc. tabulæ nullæ extant: quæ ad inſtar hereditatis certis ordinibus defertur. Et 1. quidem ſuis heredibus ſeu liberis; quæ vocatur, unde liberi. 2. Agnatis, aliiſque heredibus ex jure civili legitimis; quæ nuncupatur, Unde legitimi. 3. Cognatis, quæ appellatur Unde cognati. 4. Conjugi ſuperſtiti; quę dicitur, Unde vir & uxor. *l. 1.in pr.ff.quis ord. in bon.perſ.ſer.& in lib.Digeſtorum.38.tit.6.7.8.& 11.* Hæc-

11. Hæcque bonorum poſſeſſio ab inteſtato ita comparata eſt, ut ſi præcedens quiſque ordo in totum defecerit, tunc protinus ſequens admittatur: ſin autem pro parte defecerit, tunc portio deficientium, reliquis ex eodem ordine ad bonorum poſſeſſionem pervenientibus concedatur. *§. 5. Inſt. de bonor. poſſ. tot. tit. de ſucceſſ. edict.*

77. De modo autem procedendi, ſive executione hic tenendum. quòd licet olim ad impetrandam bonorum poſſeſſionem opus fuerit petitione aliquâ coram prætore intra præfinitum tempus (quod liberis & parentibus annuum, aliis autem quibuslibet centum dierum concedebatur. §. *eum igitur. 4. Inſt. de bonor. poſſ. l. 1. §. quod dicimus. 9. & §. ult. ff de ſucceſſ. edict* utiliter, non continuè computandum. *l. 2. ff. quis ord. in bon. poſſ.*) faciédâ. *l. 1. 2. C. commun. de ſucceſſ.* hodiè tamen id mutatum ſit, & conſtitutum, ut ex ipſo quodammodo prætoris edicto bonorum poſſeſſio perinde atque ex legibus hereditas, offerretur, ita ut ad acquiſitionem per eam faciendam qualiſcunque voluntatis declaratio de admittenda ſeu ſuſcipienda ea ſufficiat. *§. ult. Inſt. d. t. tot. tit. C. qui admitt. ad bon. poſſ.* poſt quam declarationem (adhuc hodiè intra prædicta tempora obſervandam) acquiſitio bonorum facta intelligitur. *l. ult. & paſſim. C. qui admitt. ad bon. poſſ. tot. tit. ff. de poſſeſ. hered. pet.* Et hæc dicta ſint etiam de ſecundo per Univerſitatem acquirendi modo.

78. TERTIUS UNIVERSALIS acquirendi MODUS & ſupra jam indicatus, ex conſuetudine magis quàm ſcripto aliquo jure introductus, eſt ARROGATIO, *pr. Inſt. h. t.* quâ factâ olim omnia arrogati bona, quę non capitis diminutione minimâ, per ipſam arrogationem contingente, exſtinguebantur, ipſi arrogatori tam quoad uſumfructum quàm proprietatem acquirebantur Hodiè a. bona arrogati arrogatori ex ipſa arrogatione quoad uſumfructum tantùm, quoad proprietatem verò ex ſucceſſione demum, quatenus tertiæ perſonæ (liberi ſc. aut fratres ipſius arrogati *l. ult. C. commun. de ſucceſſ.*) eidem non obſtant, acquiruntur. *§. 2. Inſt. de acquiſ. per arrogat.* Eo præterea tenendo, quòd ipſe arrogator ab iis quibus arrogatus ante arrogationem quid debuit ipſius arrogati nomine conveniri poſſit, & iiſdem, ſub pœna miſſionis in bona quæ ipſius arrogati ſunt vel fuerunt,

260

reſpondere cogatur. *§. ult. d. t. adit. §. 3. & 11. Inſt. de adopt.*

79. QUARTUS denique & POSTREMUS ſimiliter ſuprà indicatus acquirendi univerſalis modus eſt, ADDICTIO BONORUM libertatum ſervandarum causâ; ſi enim fortè cõtingat, ut defunctus aliquis in ultima voluntate ſua (teſtamento vel codicillis) ſervis vel ſervo libertatem directam vel fideicommiſſariam dederit, poſteaque certum ſit, neminem heredẽ exiturum, per & propter quem libertates iſtæ competere vel ratæ eſſe poſſint, adeoque etiam libertatis-dationem interiturá *arg. l. ſi nemo. 181. ff. de R. I.* tunc ſervandæ ejus causâ poteſt quis vel ex ipſis ſervis in voluntate illa ultima manumiſſis, vel etiá extraneus aliquis, ſibi, veluti heredi alicui bona illa addici petere, eâque petitione & reſpectivè aditione non tantùm manumiſſis libertatem ſervare, ſed etiam omnia defuncti bona (veluti bonorum quidam poſſeſſor *l. 4. §. is autem. 21. ff. de fideic. libertat.*) obtinere & acquirere, dummodò caveat creditoribus de ſolido quod defunctus debuit, ſolvendo, ut ita hoc modo & defuncto & manumiſſis proſpiciatur. Eo obſervando, quòd etſi is qui heres eſſe potuit, & obtinuit vel repudiavit, poſt ejuſmodi addictionem reſtitutus fuerit, illæ tamen libertates ratæ maneant. *tot. tit. Inſt. de eo cui libertat. cauſa bon. addic.*

80. HUCUSQUE perſtrinxi modos acquirendi (ceu cauſas actionum in rem) tàm ex jure civili quàm gentium deſcendentes; ratio ordinis nũc poſtulat, ut etiá DE OBLIGATIONIBUS, (quæ fundamentum & cauſa ſunt actionum in perſonam) ex quibus nobis quid debitum ſit, aliquid ponam. Dicitur auté omnis obligatio à ligando ſeu obſtringendo, adeoque hoc continet, ut is qui juridicè loquendo obligatus nobis dici poteſt, etiam debitor noſter dici poſſit, obſtrictus nempe nobis ad aliquid dandũ, aut faciendum, aut præſtandum. *l. obligationum. 3. ff. de O. & A.*

81. In ipſa autem vi ſeu virtute obligandi TRIPLEX iſthæc occurrit DIFFERENTIA, quòd alia obligatio ſit VERE AC PROPRIE dicta obligatio, cuius vi atque virtute adverſarius nobis obligatus non tantùm actione ſeu judicio conveniri poteſt, ſed etiam omninò condemnari debet, de cuiuſmodi obligatione accipienda eſt definitio *in pr. Inſt. de oblig.* propoſita Alia autem ſit obligatio NATURALIS TANTÙM, quæ oritur ex negocio

per

per ſe & naturâ quidem ſuâ ad producendam actionem apto, ita ut ex naturali ſeu gentium jure ſummo omninò actionem gigneret. *l. cùm amplius. 84. §. 1. ff. de* R. I. veruntamen ab ipſa lege ita reſtringitur ac limitatur, ut vi ſuâ & quamdiu ſola eſt, nec aliud quid (locupletionem puta. *l. pupibus. 5. pr. ff. de auctor. tut. collatâ l. 3. in pr. verb. utilem. ff. commodat.*) adjunctum habet, exactionem ſive actionem parere non poſſit, ſed ſoluti tantùm retentionem *l. ſi is. 94. §. 3. ff. de ſolut. l. ſed ſi. 9. §. pen. & ult. cum l. ſeq. ff. de* SC. *Maced. l. pupillum. 25. §. 1. ff. quand. dies legat. l. naturales. 10. ff. de* O. & A. & alios quoſdam effectus, (compēſationem puta, *l. & quod. 6. ff. de compenſat.* firmitudinem accedentis conſtituti. *l. 1. §. debitum. 6. & ſeq. ff. de conſtit. pecun.* ut & fideiuſſionis. *§. 1. Inſt. de fidejuſ. &c.*) producat. Alia deniq; ſit obligatio Civilis Tantùm, quæ ſecundùm juris quidem civilis regulas actionem producit, veruntamen eam, quæ propter defectum æquitatis naturalis per exceptionem repelli atque infirmari poteſt, ne omninò condemnationem reo convento inferat, ita ut perinde ſit atque ſi obligatio nulla fuiſſet. *§. 1. & ſeqq. Inſt. de except. l. nihil, 112. ff de* R. I. niſi in hoc duntaxat, quòd ſi ita obligatus exceptionē omiſerit, & cōdemnatus ſit, propter auctoritatem rei judicatæ efficaciter obligetur. *arg. l. ingenuum. 25. ff. de ſtat. hom. l. præſes. 27. ff. de re judic. l. cùm putarem 36. ff. fam. erciſ.* c. 1. A. *lib. 44. tit. 7. θ. 5.*

82. Ex cauſa etiam efficiente nonnullæ ſunt obligationum differentiæ, ac primùm quidem ex cauſa efficiente remota eſt diviſio iſta, quòd quędam obligationes depēdeant ex jure civili, quædam ex jure gentium, ut conſtat *ex l. hoc jure 5. ff. de J. & J.* cuius diviſionis uſus manifeſtè oſtenditur in *l. deportatus. 15. ff. de interdict. & re leg. & l. ſunt quidam. 16. §. 1. ff. de pœn.* Itemque iſta, quòd quædam ſint juris civilis, quædam verò juris prætorii. *§. 1. Inſt. de oblig.* cuius diviſionis uſus aliquis *ex pr. Inſt. de perpet. & temp. act.* colligi poteſt.

83. Civiles autem obligationes perinde atque ipſæ actiones interdum dicuntur non ratione cauſæ efficientis remotæ, ſive ipſius juris; ſed etiam propinquæ h. e. ipſius facti, eiuſdemque qualitatis ita ut obligatio & actio civilis appelletur ea, quæ oritur ex facto ſive negotio civili & honeſto. Unde es civilis actio ſpecies eſſe poteſt actionis prętorię, oppoſita actioni de dolo (itidem

tidem prætoriæ) tanquam ex cauſa incivili ortæ, *l. naturalis. 5. §. at cum. 2. in fin. & §. ſeq ff. de præſcript. verb.*

85. Diviſio verò ex cauſa efficiente propinqua (quam ipſam cauſam, negocium & factum illud conſtituimus, ex quo obligatio naſcitur) deſcendens, eſt iſta, quòd omnes obligationes aut ſint ex contractu, eoq; vel vero vel quaſi aut ex delicto, eoque vel vero vel quaſi. *§. ult. Inſt. de oblig. C. J. A. d. loc.*

86. Quorum rectiùs percipiendorum causâ TRIA hìc potiſſimùm CONSIDERANDA veniunt. PRIMÒ, quòd contractus in genere ſint negocia per ſe in genere ſuo honeſta ac probanda, obligationem inter aliquos producentia; & veri quidem, quibus conventio & utriuſque contrahentis conſenſus cauſam præbuit. *l. 1. §. 3. verſ. adeo ff de pact.* quaſi verò, in quos aliqui non tàm conſenſerunt, quàm alterutrius tantùm, vel etiam neutrius voluntate inciderunt, *tot. tit. Inſt. de oblig. quæ quaſi ex contrac. l. heredes. 25. §. non tantùm. 16. ff commun. divid.* Delicta autem in genere, ſunt facta per ſe & ſuo genere inhoneſta & improbanda; & vera quidem, quæ dolo & malitioſo propoſito ſunt commiſſa. *fac. l. 1. C. ad leg. Cornel. de ſicar. §. placuit. 7. in fin. Inſt. de oblig. quæ ex delic. l. 3. §. 1. ff. de injur.* quaſi verò, quæ ex alia quavis culpa aut improvidentia committuntur, *pr. & paſſim. Inſt. de oblig. quæ ex delict.*

87. SECUNDÒ, quòd præter communem illam contractuum ſignificationem, quâ pro conventione ſuper negocio civili obligationem producente accipitur, ſint duæ adhuc aliæ: una latior, quâ vel pro qualicunque cauſa obſtringendi *l. omnem. 20. ff. de judic.* vel ſaltem pro omni obligandi cauſa civili, etiam extra conventionem, ſumitur *§. 1. Inſt. de action.* Altera ſtrictior, quâ pro ſola cauſa utrinque obligationem producente accipitur. *l. Labeo. 19. ff. de V. S.* Quædam etiam ſit impropria, quâ etiam contractus & contrahi dicuntur, quæ tamē obligationem propriè dictam non pariunt, *exempl. Nov. 22. c. 19.* Verorum autem contractuum appellatio hìc ita latè accipienda eſt, ut etiam cōprehendat pacta legitima, actionem producentia. *l. legitima 6. ff. de pact. exempl. Nov. 162. arg. §. 1. ibi: vel ex contractu vel ex maleficio. Inſt. de actio. Ampl. Dn. præſ. in prælect.*

88. Earum porrò obligationum quæ ex vero contractu oriun-

oriuntur, ſubdiviſio aliqua colligi poteſt ex diviſione ipſorum contractuum, quæ eſt, quòd omnes contractus aut re contrahantur, aut verbis, aut literis, aut conſenſu. *§. ult. Inſt. de oblig.*

89. Ubi tenendum Primò, quòd quidem ſecundũ paulò antè tradita ad omnes veros cõtractus requiratur conſenſus; referat autem in hac ſubdiviſione, utrùm conſenſus ille ſolus ſit, an verò præter eum aliud quid accedat & requiratur: Ita náque in contractibus qui re perficiuntur, neceſſe eſt, ut præter conſenſum etiam res aliqua interveniat, & ab uno contrahentium ad alterum proficiſcatur, in tantum, ut impoſſibile ſit, ut ultrà quàm datum quid eſt, ex re obligatio naſcatur, *l. ſi tibi. 51. in pr. ff. de pact.* In contractibus autem qui verbis fiunt, præcisè etiam verba ſeu interrogatio & reſponſio ore prolata: *pr. Inſt. de verb. oblig. junct. §. mutuum. 7. Inſt. de inut. ſtip.* In iis qui literis fiũt, præcisè literæ, *tot. tit. Inſt. de literar. oblig.* præter conſenſum, requirantur: In iis denique qui in ſpecie conſenſu fieri dicuntur, ſolus conſenſus ſufficiat ad gignendam obligationem, nec opus ſit ut vel res ipſa præſens interveniat, aut præcisè verba, literæve adhibeantur. *tot. tit. Inſt. de oblig. ex conſen.* niſi ſpecialiter cõtrahentibus placuerit, contractum eum, qui aliàs ſolo conſenſu perfici poſſet, ſcripturâ perficere: *exempl. pr. Inſt. de empt. & vend.* vel in contractibus utrinque obligatoriis, de implendo magis contractu, ſeu ſolvendo, ſit ſermo: tunc enim hoc juris erit, ut is qui alterum ad impletionem ſeu ſolutionem urgere velit, priùs ipſemet contractum impleat ac fidem ſolvat. *exempl. l. Julianus. 13. §. auferri. 8. l. qui pendentem. 25. de act. empt.*

90. Deinde, quòd in iis præcipuè contractibus qui re perficiuntur, occurrat etiam duplex iſta differentia, quòd alii ſunt nominati, qui (ſicut & omnes reliqui in tribus poſterioribus modò propoſitæ diviſionis membris) ſpeciali ac proprio nomine demonſtrari, & ex ſolo etiam nomine quales ſint, intelligi poſſunt. v. c. ſi res aliqua gratis utenda alicui detur, ut eadem in ſpecie poſt expletum iſtum uſum reſtituatur, uno verbo & quidem proprio nomine dicetur Commodatum: Alii verò Innominati, qui ſpeciali nomine demonſtrari non poſſunt, ſed vel generali aliquo verbo indicandi, vel certè pluribus aſſumptis & factum ipſum naturaliter deſcribentibus, declarandi ſunt: v.

c. ſi ex conventione tibi do Stichum; ut mihi viciſſim des equũ, non poterit, niſi vel Permutatio (quod tamen nomen generale, & emptioni quoque venditioni, locationi conductioni, aliisque contractibus juſtitię commutativæ ſubjectis, commune eſt, nec ſatis apertè prædictam ſpeciem demonſtrat) vel totidem verbis in factum ipſum conceptis, contractus Do ut Des, appellari. *l. jurisgentium. 7. §. 1. ff. de pact.*

91. Nominatorum porrò contractuum ſpecies plures occurrunt & facilè cognoſci poſſunt. Innominatorum verò quatuor præcipuè ſunt ſpecies, Do ut Des, Do ut Facias, Facio ut Des. Facio ut facias. *l. naturales. 5. & paßim. ff. de præſcript. verb.*

92. In quibus ſingulis notandum Primò, quòd præſentia iſta, Do, Facio, aſſumpto actu intelligẽda ſint, ita ut reverâ & ipſo actu dem vel faciam; & quamdiu non re ipsâ dedi vel feci, tamdiu etiam nullum ſynallagma (quod hic eſt ipſum datum vel factum, & etiam cauſa, producendæ ſc. obligationis, vocatur) nullusque verus contractus, ſed pactum tantùm de donando vel faciendo nudum, nullam actionem producens, ſed ipſi paciſcenti liberam adhuc pœnitendi facultatem relinquens, intelligi poſſit ac debeat. *d. l. 7. §. 1. & 4. ff. de pact.*

93. Deinde, quòd ſi vel maximè datum aut factum quid ſit, adeoque ſynallagma verèque cõtractus jam initus dici poſſit, in ipſa tamen vi & effectu obligandi inter contractus nominatos & innominatos iſtud interſit, quòd arctior ex illis quã ex his obligatio naſcatur, & in his pœnitere modo quodam liceat, quo in illis non licet, quod exemplo emptionis venditionis, & contractus Do ut Des, manifeſtum evadet.

94. Nam in emptione venditione ſi quidem venditor rem tradidit, emptor autem pretium ſolvere ceſſat, non poterit venditor vel rem ipſam repetere, vel pretium exigere, ſed præcisè ad pretium conſequendum agere neceſſe habebit, & eo etiã tardiùs, cum uſuris tamen, ſoluto, contentus eſſe cogetur, licet fortaſſis plus ex re ipſa quàm ejus pretii uſuris quærere potuiſſet. *l. ult. ff. de peric. & commod. rei vend.* nec reſciſſionem contractus impetrare, aut rem ipſam obtinere poterit, ſi vel duplum pretii emptori ſuo cum quo contraxit, obtulerit. *l. non eſt probabilis. 6. C. de reſcinden. vend.* quemadmodum & viciſſim ſi venditor

tor agat ad pretium conſequendum , non poterit emptor vel pretium ſolvere, vel rem ipſam reſtituere: ſed omninò pretium ſolvere neceſſe habebit, nec invito venditori rem obtrudere, atque ſic aliud pro alio ſolvere) poterit *arg. l. 2. §. 1. in fin. ff de R. C.* In contractu verò innominato Do ut Des, ſi quidem ego dedi, tu verò dare ceſſas, potero vel quod dedi repetere condictione causâ datâ causâ non ſecutâ: vel id quod mihi viciſſim erat dandum, quodvè mea intereſt accepiſſe, actione præſcriptis verbis exigere *d. l. 5. §. 1. ff. de præſcript. verb.* Et ſi quidem re (quantum ad accipientem attinet) adhuc integrâ, pœnitentiâ ductus condictionem dati inſtituam, omninò obtinebo, nec liberari ab iſta condictione poterit accipiens, ſi vel maximè etiam à ſua parte contractum implere, & quod viciſſim dandum erat, dare velit. *l. ſi pecuniam. 5. in pr. & §. item ſi qui dederit. 2. ff. de condict. cauſ. dat.* & econtrà, ſi antequam quid mea ſpecialiter intereſt, accipientem ad implendum quoque á ſua parte contractum urgere velim, tunc & ei pœnitere licebit ita, ut mihi rem ipſam reſtituendo liberari poſſit à neceſſitate contractus à ſua parte implendi. *d. l. 5. & 5. ſed ſi accepit. 3. verſ. ſed ſi eligat, ibi: aut ipſum ei dari, aut quod dederit reſtitui.*

95. Eodem modo etiam ſi ex emptione venditione pretium pro Sticho dedi, & poſtea Stichus antequam tibi traderetur, abſque culpa tua mortuus eſt, tuo periculo mortuus videbitur, nec poteris neque pretiū repetere, neque quanti ſervus iſte reverà fuit, exigere. *§. cum autem. 3. ibi: cui neceſſe erit, licet rem non fuerit nactus, pretium ſolvere, Inſt. de empt. vend.* Si verò tibi pecuniam (veluti rem, non ut pretium numeratum) vel ſchyphos dedi ut mihi dares Stichum, & antequam tu eum dares, Stichus abſque tua culpa mortuus ſit, meo quidem periculo mortuus videbitur ita, ne quanti reverà fuit Stichus, à te exigere poſſim. *d. l. 5. §. 1 verſ. ſed ſi ſcyphos. ff. de præſcript. verb.* ſed tamen ut pecuniam, vel ſcyphos quos dedi, repetere valeam. *l. ult. ff. de condict. cauſ. dat. Ampliſ. Dn. Præſ. in prælect. publ.*

96. Hactenus ex doctrina de Obligationibus ea quæ in genere ad naturam earum per differentias præcipuè declarandam facere videbantur, indicavi; proximum nunc eſſet ad ſpecialiorem tractationem de cauſis earum, h. e. de ipſis contracti-

bus & delictis deſcendere: veruntamen quia exquiſita illorum pertractatio nimis prolixa foret, & ab inſtituto meo aliena, cùm mihi propoſitum non ſit verboſum conſcribere tractatum, ſed ad uſum præcipuè collimare, & quatenus illæ producendis actionibus inſerviunt, qualitercunque pro ingenii tenuitate demonſtrare: ideò præcipuum mihi nunc erit, ut ipſa cauſarum iſtarum genera & quæ in iis continentur ſpecies inſigniores repetam, & ad iſta vel ſingula, vel plura conjuncta, præcipuis tantùm & obſervatu magis neceſſariis annotatis, illa pleniùs attingam, ex quibus de concedenda aut deneganda actione certiores eſſe poſſimus.

97. PRIMUM igitur contractuum genus eſt eorum, qui re contrahuntur: & QUINQUE inſigniores ſpecies continet, MUTUUM videlicet, quo res fungibiles alteri dantur, ut eius fiant, & quandoque in eodem genere & qualitate reddantur: quaſi per vices meæ & tuæ: condictione certi repetendę. *pr. Inſt. quib. mod. re contrah. obl. l. 1. §. 2. ff. de oblig. & act. l. 2. & paſſ. ff. de* R. C. INDEBITI SOLUTIONEM, quando quis nō creditor, quaſi creditor, ſolutum accepit, quod ſibi non debebatur. Nam is ad reſtituendum obligatur: quanquam enim non ſit animo contrahendi ſed diſtrahēdi potiùs, tamen re obligatur, & tenetur condictione, perinde ac ſi mutuum accepiſſet. *tot. tit. ff. de condict. indeb.* COMMODATUM, quo res aliqua alteri gratis utenda datur, & is eam ipſam in ſpecie reſtituere obligatur, & tenetur actione commodati *l. 3. ff. commod. junct. l. 2. ff. de* R. C. DEPOSITUM, quo res aliqua alteri cuſtodienda traditur, indeque accipiens ad eandem rem reſtituendam obligatur, & tenetur actione depoſiti. *§. 3. Inſt. quib. mod. re contrah. oblig.* PIGNUS, quòd debitor creditori in ſecuritatem debiti tradit, & creditor ſoluto debito reſtituere tenetur actione pignoratitiâ. *§. 4. Inſt. d. t.*

98. Notandum autem hic PRIMÒ in genere, quod præter iſtos ſint etiam alij contractus qui re contrahuntur, veluti Dotis datio *l. contractus. 23 de* R. I. arrhæ datio *l. contractus. 17. C. de fid. inſtrum.* & contractus innominati quicunque *ut ſupr.* θ. *91. & 92.* dixi.

99. SECUNDÒ, in ſpecie de Mutuo, quòd etſi in eo hoc agatur, ut eadem res in genere reddatur, non in ſpecie: *d. l. 2.* tamen

men conventio iſta interpretanda ſit pro debitore, ita ſc. ut is non cogatur eandem rem in ſpecie reddere: poſſit autem ſi velit, *arg. d.l.2. §. 1.* Itemque quòd condictio certi quam ex mutuo dari dixi, hic intelligenda ſit cum reſtrictione ad ipſum mutuũ: aliàs quippe condictio certi communis eſt aliis etiam cauſis *l. certi condictio 9. ff. de* R. C. Et denique, quòd, etſi mutuum ſimpliciter ac purè datum ejus naturę ſit, ut ſtatim repeti poſſit humanitatis tamen ratione indulgendum ſit debitori aliquod ſpaciũ, nec creditor mox cum ſacco venire debeat. *l. quod dicimus 105. ff. de ſolut.*

100. Tertiò, de Indebiti ſolutione, quòd ea quidem ſit contractus qui re contrahitur: non tamen ſit contractus verus: ſed quaſi tantùm. *§ itẽ. 6. Inſt. de oblig. quæ quaſ. ex contract.* quodq; accipiens hìc intelligendus ſit bonæ fidei; ſciens autem indebitum accipiens obligetur inſtar furis. *l. ſi juſſu. 44. pr. & §. 1. ff. de furt.* idemque accipiens fiat rei acceptæ dominus: eo quod cauſa ſolutionis juſta intervenerit, etſi non ſit vera. *arg. l. nunquam. 31. pr. ff. de A. R. D. §. ſic itaque. 14. Inſt. de actio.*

101. Quartò, de Depoſito, quòd in eo res intelligenda ſit mobilis. *arg. l. 1. pr. ff. depoſ.* Immobilium autem depoſitum jure civili ſit nullum, jure verò canonico aliquod, quatenus illo jure etiam poſſeſſionum ſequeſtratio eſt recepta. *tot. tit. X. de ſequeſtr. poſſ.* quod ſequeſtrum ſpecies quędam eſt depoſiti, & à depoſito ſimplici potiſſimùm differt in eo, quòd ſequeſtrum ſit rei litigioſæ, & ſemper à pluribus fiat, & aliquando etiam poſſeſſionem transferat: cùm depoſitum ſimplex ſit rei non litigioſæ, & ab uno fieri poſſit, & poſſeſſionem nunquam transferat. *l. ei apud quem. 5. §. 1. & ult. cum l. ſeq. l. licet. 17. pr. & §. 1. ff. depoſ. l. intereſt. 39. ff. de acquir. poſſ.*

102. Quintò & Ultimò, de Pignore, quòd, cùm pignus conventionale contrahatur duobus modis, vel per contractum traditione perfectum *l. 1. ff. de pign. act.* vel abſque traditione, per nudam conventionem. *§. item Serviana. 7. Inſt. de actio* pignoratitia actio de qua hic agitur, oriatur ex ſolo contractu pignoris, & perſonalis ſit, ac directa quidem debitori contra creditorem; contraria verò creditori cõtra debitorem, detur, *tot. tit. ff de pignorat. act.* Differat autem ab ea actio hypothecaria, utpote quæ

realis eſt, & ex jure eo, quod per pignoris conſtitutionem qualemcunque ipſi creditori fuit quæſitum, contra quemvis poſſeſſorem competit. *d. §. 7. Inſt. de action.*

103. SECUNDUM genus eſt contractuum qui verbis fiunt: & duo continet membra: quorum *primum* eſt de obligationibus principalibus, ſive per ſe conſideratis: *alterum* de acceſſorijs.

104. Ad PRIMUM membrum quod attinet, deſcendit illud ex ſtipulatione tanquam ex cauſa ſua (quæ ex interrogatione & reſponſione verbis ore prolatis comprehensâ contrahitur: & verbis quidem qualibuſcunque, voluntatem modò utriuſque contrahentis ſufficienter declarantibus; ac contrahitur variè pro arbitrio ipſorum contrahentium, purè, vel in diē, vel ſub conditione, itemque ut ſolutio certo loco fiat, vel ſimpliciter. *tot. tit. ff. de V. O.*) eaque vel ſingulorum vel duorum pluriumvè ſimul & conjunctim unam eandemque rem in ſolidum ſtipulantium vel promittentium, adeoque obligationem correalem contrahentium, unde illi rei ſtipulandi; hi verò rei promittendi dicuntur. *l. 1 ff. de duob. reis. l. 5. C. eod. l. 93. pr. & §. 1. ff. de ſolut.*

105. Cujuſmodi obligationis correalis hic præcipuus eſt effectus, quòd omnibus iis & ſingulis res illa in ſolidum debeatur, & omnes ac ſinguli rem illam totam debeant, veruntamen unius acceptione & reliqui obligationem ſive actionem amittant: & unius ſolutione & reliqui liberentur; quamvis jure noviſſimo hoc nonnihil immutatum ſit, quo correi beneficium habent diviſionis. *authen. hoc ita. C. de duob. reis. Nov. 99.* exemplo fidejuſſorum. *authen. præſente C. de fidejuſſ. Ampliſſ. Dn. Præſ. in diſp. Novo Juſtin. 11. tit. 17. §. 6.*

106. Eſt & ſtipulatio vel liberorum hominum vel ſervorum, non quidem ex perſona ſua (ſtipulatio enim eſt juris civilis quo ſervi pro nullis habentur *l. quod attinet. 32. l. cùm ſervo. 107. l. ſervitutem. 209. ff. de R. I.*) ſed ex perſona dominorum jus ſtipulandi habentium, adeoq; illi, non ſibi, (cùm nihil ſuum habere poſſint. *§. item nobis. Inſt. per quas perſ. cuiq; acquir. §. 1. Inſt. de his qui ſui vel alie. jur. l. placet. 79. ff. de acquir. hered.*) ex ſtipulatione acquirentium: ita tamen, ut ſi factum aliquod, ſeu jus, cui factum

ctum ineſt.v.c.jus eundi per alterius fundum ſtipulentur, ipſi tantùm illi,non etiam domini eorum,facultatem faciendi ſeu eundi conſequantur,*tot.tit.ff.de ſtip.ſervor.*

107. Præterea, & ſtipulationum quædam tales ſunt, ut non ex libera voluntate contrahentium, ſed ex neceſſitate quâdam & juſſu vel prætoris vel judicis procedant: unde ratione cauſæ efficientis aliæ ſunt Judiciales,quæ ex judicis,aliæ Prætoriæ,quę ex prætoris,aliæ Conventionales , quæ ex conventione contrahentium, aliæ denique Mixtæ, quæ partim ex judicis partim ex prætoris decreto , voluntate ac juſſu dependent. *l. 5. pr. ff. de verb.oblig.*

108. Ut autem ſtipulatio firma & valida ſit,ac effectum ſortiatur;diligenter cavendum, ne in ea vitium aliquod ſit vel ratione materiæ,veluti ſi in ſtipulationẽ deducatur res quæ nõ eſt in rerũ natura , aut nõ eſt in cõmercio,aut factũ alienũ turpéve, &c.vel ratione cauſę efficiẽtis puta ſi infans vel furioſus ſtipuletùr, ut ſi quis ſtipulãdi jus habens nõ ſibi,nec ei cuius poteſtati ſubiectꝰ eſt,ſed extraneo ſtipuletur;vel deniq; ratione formæ, ſi videlicet vel planè nõ,vel nõ aptè reſpõdeatur, aut impoſſibilis conditio ſtipulationi adjiciatur, aut inter abſentes concipiatur &c.*tot.tit.Inſt.de inut.ſtipul.*

109. Ad Alterum membrum, de acceſſoriis obligationibus,quod attinet,deſcendit illud ex ſtipulatione ſeu promiſſione fideiuſſorum,ad alias quocunque modo contractas obligationes principales,majoris ſecuritatis causâ accedentium , eorumque iterum vel ſingulorum vel duorum pluriumvè ſimul fideiubentium, in quibus hoc juris, ut regulariter quidem ſinguli in ſolidum teneantur:veruntamen ex epiſtola D.Hadriani diviſionem petentes,ſinguli in partes tantùm ſint conveniendi: dummodò omnes ſolvendo ſint;aliàs eorum qui ſolvendo non ſunt,partes,à reliquis perinde ac partes ratæ exigi poſſint : Et ſi unus ex fideiuſſoribus in ſolidum ſatisfaciat , ei adverſus reliquos fideiuſſores regreſſus non detur, niſi ceſſis illi ante ſolutionem actionibus.*l.cùm alter.11.C.de fidejuſſ.l.cùm is.36.ff.eod.*

110. In genere autem in omni fidejuſſione hoc juris eſt; quòd fideiuſſor in maiorem quantitatem quàm ipſe principalis,obligari non poſſit. *l.8.§.illud commune.7.ff.de fidejuſſ.* poſſit autem

autem in minorem vel æqualem. *l. hi qui. 34. ff. eod.* nec ante excuſſum principalem conveniri, *authen. præſente. C. eod.* quod tamen olim ſecus fuit. *l. jure noſtro. 5. C. d. t.*

111. TERTIUM genus eſt contractuũ, qui literis fiunt, & conſtituuntur eo ipſo quo quis ſe mutuum quid ab altero accepiſſe, vel ex alia aliqua cauſa ei debere ſcripſit: eique ut creditori chirographum id tradidit, *tot. tit. Inſt. de lit. oblig.*

112. Effectus autem eiuſmodi chirographi eſt, ut illud quidem intra biennium per ſe ſolum non obliget, nec quicquam probet: ſed is qui id ſcripſit, intra biennium de non numerata pecunia, ſeu inanitate chirographi, ſimpliciter & abſque ulla probatione, excipere vel cõqueri, onuſque probandæ numerationis in adverſarium transferre poſſit. *l. ſi ex cautione 3. C. de non num. pecun.* iſto eventu, ut actore in probatione iſta deficiente reus omninò abſolvendus ſit. *l. 3. C. eod.* probationem verò implente, adeoque rei perfidiâ detectâ, quòd onus probandi maliciosè actori intulerit, in duplum condemnandus ſit. *Nov. 18. c. 8.* Poſt biennium autem reus ampliùs de non numerata pecunia queri aut excipere minimè poteſt, niſi onus probandi pecuniam ſibi numeratam non eſſe, in ſe receperit. *l. 2. l. ſi quis 5. l. generaliter. 13. C. d. t.*

113. QUARTUM & POSTREMUM genus eſt contractuum qui conſenſu fiunt, quorum hæc eſt natura, ut ex ſolo cõſenſu, etiam ſine traditione rei, ſineque literis & verbis quocunque modo declarato, ſubſtantiam capiant, & ultrò citróque vim ſuam exerentes ex bono & æquo ſint æſtimandi. *l. 2. ff. de O. & A.*

114. In genere autem de hiſce contractibus obſervandum: quod iis quidem omnibus conveniat, ultrò citróque obligationem parere, at non iis ſolis, verùm etiam aliquibus re initis, *rubr. ff. depoſ. vel contrà. & rubr. ff. de pign. act. vel contrà,* Omnium autem contractuum ultro citróque obligationem parientium hæc propria ſit affectio, quod ſint bonæ fidei: non quatenus dolo fieri non debeant (hoc enim reſpectu omnes omninò contractus bonæ fidei ſunt. *l. in contractibus. 4. C. de O. & A.*) ſed quatenus ex bono & æquo interpretationem laxiorem recipiunt, quod ſecus eſt in contractibus ſtricti juris ex uno tantùm latere

obliga-

obligationem parientibus. *Fac. l. quicquid reſtringendæ. 99. ff. de V.O. l. ſi tibi decem. 17. ff. de pact.*

115. Sunt autem eius ſpecies QUATUOR: PRIMA, EMPTIO VENDITIO, quę contrahitur conventione ſuper merce & pretio (commutandis) etſi nec pretium numeratum, nec arrha ſit data: quia arrha non facit ad contrahendam emptionem: cùm & contractæ non minus quàm contrahendæ accedere poſſit *pr. Inſt. de empt. & vend.* diſcrimine tamen notabili: quòd quádo arrha, contrahendæ & adhuc imperfectæ emptioni, accedit, tunc nec emptor, nec venditor impunè ab ea recedere poſſit: (quòd aliâs arrhâ non datâ potuiſſet uterque) ſed recedens emptor arrham amittere, venditor autem eam duplicatam reſtituere, neceſſe habeat. *d. pr. l. 1. & paſſ. eod. l. cōtract°. 17. C. de fid. inſtrum.* quando verò contractæ & perfectæ emptioni accedit, túc non ſufficiet, ſi emptor arrham amittere aut venditor duplicatam reſtituere velit ſed tenebitur alter alteri ad complendum contractum, aut id, quod alterius intereſt, ſolvendum. *l. 1. pr. & paſſ. ff. de act. empt.* adeoque arrhæ amiſſio, vel dupli reſtitutio, tum demùm locum habere videtur, cùm iſtis modis plenè vel pleniùs ei, cui fides non ſervatur, conſulitur: non, cùm minùs conſuleretur: ne aliâs eveniat, ut, cùm arrhæ datio confirmandi quodammodo cōtractus causâ data ſit, eadem occaſionem præſtet ejuſdem faciliùs deſerendi, quod non eſt permittendum. *l. plures. 19. in fin. C. de fid. inſtrum. Ampliſſ. Dn. Præſ. in Diſp. Nov. Juſtin. 12. tit. 24. θ. 3. & 5.* Cæterùm, ſive arrha data ſit velut argumentum perfectæ emptionis, ſive, cùm data eſſet in argumentum perficiendæ eiuſdem, eadem etiam poſtea perfecta, nec ab ea receſſum fuerit; túc arrha regulariter vel in pretium imputatur, ſi in pecunia numerata conſiſtat: *l. ult. ff. de leg. commiſſ.* vel, ſi in aliis rebus conſiſtat, ſoluto pretio per actionem ex empto, repetitur. *l. ex empto. 11. §. is qui vina. 6. ff. de actio. empt.*

116. SECUNDA ſpecies eſt LOCATIO-CONDUCTIO, quâ agitur, ut pro pecunia, vel uſus rei ad alterum tranſeat, vel uni per alterum quid fiat. Ut autem ſciatur, quis locator ſit & quis conductor, tenendum, quòd quando agitur de Uſu rei pro certa mercede habendo: is ſit locator, cuius eſt ipſa res, ſive qui dat utendum, alter verò conductor: quando verò agitur de fa-

ciendo; túc quatenus opus faciendum reſpicitur, is qui mercedem dat, ſit locator: quatenus verò opera conſideratur, per quâ opus aliquod conficitur, is qui operam præſtat, ſit locator, alter verò conductor. In duplici autem iſto reſpectu denominatio ſit facienda ab eo, quod primùm offertur: ita, ut ſi primùm opus faciendum alicui offeratur, tunc offerens ſit locator, alter conductor: ſin opera primùm offeratur, tunc operas præſtans ſit locator, & locati actionem habeat; alter conductor, & conducti actionem nanciſcatur: ſin denique obſcurum ſit, quodnam priùs fuerit oblatum, tunc præſcriptis verbis ſit agendum. *l. & ita de facto. 3. §. 1. ff. naut. caupon. l. plenum 12. §. operas autem. ult. & ll. ſeqq. ff. de uſ. & habit. C.I.A. lib. 15. tit. 2. th. 4 Cujac. 2. ob. 28.*

117. TERTIA SPECIES obligationum ex conſenſu eſt, SOCIETAS, quâ duo pluresvè, vel utrinque pecunias aut res, ſive univerſas, ſive aliquas: vel ex una parte rem, ex altera operam in commune conferunt, eâ lege, ut lucrum & damnum (pro portionibus ipsâ conventione conſtituendis) inde proventurum inter ſe commune habeant. Ubi notandum, quod interſit inter ſocietatem Univerſorum bonorum, & inter ſocietatem Univerſitatis alicujus, eò quòd in illa omnia omninò commoda & incommoda veniant: in hac tantùm ea, quę ad certam illam univerſitatem pertinent. *l. ex parte. 39. §. filius. 3. ff. famil. erciſc. l. 2. §. 1. ff. h. t.* Deinde, quòd in ſocietate conveniri quidem poſſit, ut quis ſociorum, partem lucri (ſi quidem compenſatione factâ aliquid ſuperfuerit) ferat, de damno autem (quod fortè reliquum manſerit) non teneatur: non autem poſſit conveniri ſimpliciter, ut quis lucrum omne, ſi quod reſiduum fuerit, capiat, (omiſsâ ſc. compenſatione lucri ac damni, quod in aliis atque aliis cauſis contigerit) damnum autem, ſi quod reliquum fuerit, vel planè non, vel pro parte tantùm ſentiat: quia iſta leonina ſocietas eſſet. *d. l. 29. § ult. ff. de ſociet.*

118. QVARTA & ULTIMA SPECIES eſt, MANDATVM, quo quid gratis ſeu abſque mercede faciendum aut pręſtandum, ab uno mandatur, & ab altero ſuſcipitur. Omne autem mandatum contrahitur hoc ſenſu, ut mandans velit executionem fieri ſuo periculo, & mandatarius, non quaſi ex neceſſitate, ſed liberâ voluntate, atque ita ut à mãdante indemnis ſervetur, executionem

nem eius ſuſcipiat. *l. cùm mandatu. 21. l. Quintus Mucius. 48. §. 1. ff. mandat. l. & quin. 19. §. ſi libero. 2. ff. de negoc. geſt. l. ſi verò. 12. §. contrario. 7. ff. mandat.*

119. Ex hiſce autem veris contractibus jam enumeratis, ſicuti etiam ex quaſi contractibus (quorum ſpecies & exempla in peculiari Inſtit. titulo exponuntur) maximè verò iis, in quibus de re vel negocio certo ad alterum pertinente agitur, obligationes, indeq; actiones naſcuntur duobus modis. Primùm, directò & per ſe, ex eo nimirum, quod principaliter in ipſo contractu placuit & actum eſt, v. c. ut venditor rem tradat pro pretio, depoſitarius rem cuſtodiæ causâ traditam reſtituat, tutor adminiſtrationis rationem reddat, quibus in caſibus non aliunde, quàm ex ipſa conventione & negocio principali, actiones naſci videri poſſunt. Deinde, per obliquum & ex accidenti, ex eo nimirum, quod circa contractum, ſive rem quæ in eo verſatur, delictum quid eſt, quod alteri damnum afferret, v. g. ſi venditor, depoſitarius, aut tutor, res quidem ipſas tradere, reſtituere, earumvè nomine rationem reddere non detrectet, veruntamen aliter quàm decet, in re verſatus probari poſſit: quibus in caſibus actiones de longinquo quidem ex cōtractu, ac proximè ex delicto quodam in contractum incidente, oriri dicendæ ſunt. *fac. §. 1. verſ. aliquādo tamen Inſt. de perpet. & temp. l. ſi hominem. 7. §. 1. ibi: ex dolo. ff. depoſ. l. ex contractibus. 49. ff. de O. & A.*

120. Delicta porrò ejuſmodi quæ in contractus incidunt, & actionibus ex contractu (ſub quo nomine & quaſi contractum hìc intelligo) naſcendis cauſam præbent, communi nomine appellari ſolent Culpa.

121. Quod ipſum Culpæ vocabulum interdum latiùs accipitur, ut & eam quę ex malicioſo propoſito eſt, ac in ſpecie dolus vocatur, & eam quæ ex alia negligentia eſt, ac in ſpecie culpa appellatur, comprehendat, *ut, l. ſed & ſi. 5. §. 1. ibi: ſi culpâ quis occiderit. ff. ad leg. Aquil. l. 3. ff. de poſ. l. nam luſus. 10. junct. l. præced. §. ult. ff. ad leg. Aquil.* Interdum ſtrictiùs, ut ſolam culpam eam denotet, quæ à malicioſo propoſito (ſaltem evidente ac aperto) eſt ſeparata, *ut in l. contractus. 23. ff. de R. I. & alibi paſſim.*

122. Cœterùm, & in ſtrictori iſta ſignificatione rurſus diſtinguitur Culpa (prout vel gravior vel levior eſt. *l. homo liber. 54. §.*

2 ff de acquir. rer. dom.)in Latã(q̃ & latior vocatur *in l. 32. ff. depoſ.*) Levem & Leviſſimã *l. 22. §. 3. ff. ad SC. Trebell. l. 44. ff. ad leg. Aquil.*

123. Lata a. culpa, eſt ſumma & tanta negligentia in reb. ad aliũ qualitercunq; ſpectãtibus, cõmiſſa, quãta in hominẽ integrũ bonæque fidei cadere nõ creditur. Ita ut iſta culpa dolo cõparetur. *l. 1. §. 1. ff. ſi menſ. falſ. mod.* & dolus(præſumptus ſc.)eſſe dicatur. *d. l. 22. ff depoſ. l. 226. ff. de V. S.*

124. Levis culpa dicitur, q̃ inter hãc latã & leviſſimã intercedit. Eſt a. Leviſſima culpa, quando id quod quidem nõ vulgari & cõmuni hominũ naturę ſatis conveniente, ſed tamen ſummâ diligentiâ & curâ provideri potuiſſet, provisũ tamen nõ eſt, cuiuſmodi eſt culpa cõmodatarii, qui incẽdio portę exorto, res commodatas min⁹ curavit, ſed res ſuas p̃ cõmodatis fecit ſalvas. *l. 5. §. 4. in fin. cõmodat.* Levis itaq; culpa erit, q̃ neq; ex ſumma negligẽtia & affectata quaſi ignorantia, aut pręcavendi impotentia, profluxiſſe videri poteſt, neq; tamẽ etiã præcavendi causâ, ſummam ómninò diligentiã requiſiviſſet, ſed cõmuni & conſuetâ diligẽtiâ averti potuiſſet. *d. l. 32. ff. depoſ. & d. l. 22. §. 3. ff. ad SC. Trebell.*

125. Hæc verò Levis Culpa non eſt unius generis, ſed ꝓ varietate negociorũ, quorũ alia majorẽ diligentiã requirunt, alia minorẽ pro ſufficienti admittunt, varia eſt: poteſt a. facilioris intellectus causâ Distingui in Tres Gradus: quorum Primus eſt, *non adhibuiſſe ſuam ſaltem diligentiam:* qualis levis culpa intelligenda eſt in Societate, in qua nõ requiritur, ut ſocius præſtet diligentis patrisfamiliâs diligentiã, ſed excuſatur, ſi modò ſuam adhibuerit. *§. ult. Inſt. de ſociet.* Secundus, *non adhibuiſſe diligentis patrisfamiliâs diligentiam*, exẽplo Emptionis venditionis, in qua venditor rei venditę, diligentiã boni patrisfamiliâs adhibere tenetur: nec excuſatur, ſi etiã conſuetâ in reb. ſuis negligentiâ aut culpâ quid in ea cõmiſerit, furtũ tamen, quippe quod & diligẽti patrifamiliâs fieri poteſt, præſtare nõ tenetur. *§. 3. circa fin. Inſt. de de empt. & vend.* Tertius & ultimus, *non adhibuiſſe ſpecialem aliquam & pro natura negocii æſtimandam diligentiam* exemplo Locationis conductoris, in qua ſarcinator. v. g. qui veſtimenta ſarciẽda accepit, etiam furtum præſtare debet, nec ab ea præſtatione liberari poteſt, dicendo quòd diligenter ac ut bonus paterfamiliâs rem cuſtodierit: ideò nempe, quòd ſpecialem iſtam, etiã

adver-

adverſus furtum diligentiam,ab eo ſingulariter jura requirant. *§.15.Inſt.de oblig.quæ ex delict.* Sic & is qui transportandá colúná conduxit, omnia ea facere & præſtare debet q̃ diligentiſſimus, ejusq; rei peritus,obſervaturus eſſet, & fractâ ea non excuſatur, etſi ſuam,vel etiã diligentis patrisfamiliâs diligentiá adhibuerit ideò népe, quòd transportatio iſta columnarum ſpecialem dexteritatem artificis,& non modò ipſius,ſed & eorú quos ipſe adhibet,deſideret.*l.25.§ 7.ff.locat.*

126. Ut a. ſciatur quæ culpa in quoq; cõtractu præſtanda ſit, attendendum erit ad Diligentiam , quę in unoquoq; eorum requiritur.Ea a.pro diverſitate contractuum ſeu negociorum alia eſt atque alia.interdum enim maxima requiritur;interdum mediocris ſufficit;interdum deniq; & nulla deſideratur.

127. Conſiderandum autem inprimis, ad quem res ſeu utilitas contractus,adeoque ipſe contractus præcipuè ſpectet.Spectat enim aut ad alterum tantùm, aut ad utrumque. Quando ad alterũ tantùm pertinet,túc regulare eſt, ut is ad quẽ pertinet, adhibeat maximá diligentiá indeq; non tantùm de dolo & lata culpa (quod omnibus cõmune eſt) ſed & de leviſſima, multoq; magis de levi teneatur: alter verò,ad quẽ res ſive utilitas cõtractus non pertinet,excuſetur, ſi boná fidẽ præſtiterit, etiáſi diligentiá nullá adhibuerit; indeq; de ſolo dolo & lata culpa,non etiá de levi,multò minùs de leviſſima culpa teneatur. Quádo autẽ res ſive utilitas cõtractus ad utrũq; pertinet,tunc ordinarium eſt,ut uterq; adhibeat mediocrẽ diligentiá,indeq; pręter dolum & latá culpá etiá de levi,non de leviſſima culpa teneatur. *l.23.ff. de R.I.l.5.§.2.& duob.ſeqq.& l.18.ff.cõmod.l.108.§.12.ff. de legat.1.*

128. Excipiuntur tamen ab hiſce regulis, & maximè ab ea, quæ de cõtractibus ad unius tantùm utilitatẽ pertinẽtibus propoſita eſt, Tres Species. I. Precarium,quod,quamvis ad accipientis tantũ utilitatem & commodum ſpectet , adeoq; & ex parte ipſius ſummam diligẽtiam, indéq; leviſſimæ quoque culpæ præſtationem deſiderare videatur *d.l.5.§.2.in fin.ff. commod.* reverà tamen nil præter bonam fidem exigit,adeoq; ſolius doli præſtatione contentum eſt, *d.l.23.in pr.ff. R.I.l.8.§ 3.ff. de precar.* II. Tutela,& (quæ in pauciſſimis ab eà diſtat. *l. 13.in pr.ff.de excuſ.tut.*)Cura,quę ut Cicero lib.1.de Officiis ait,ad utilitatẽ eo-

rum,qui commiſſi ſunt,non ad eorum,quibus commiſſa eſt geréda eſt,eáq;ratione ex parte tutoris vel curatoris ipſam tantùm bonam fidem, nec ultra doli præſtationem quicquam exigere videbatur:reverà a.ultra bonam fidem etiam diligentiam,indeque &levis culpæ præſtationē deſiderat.*d.l.23.ff.de R.I .l.7 C.arbitr.tut.* quę ipſa diſpoſitio in heredib.tamen non obtinet; quippe qui de dolo duntaxat & latâ,non etiam levi tutoris vel curatoris culpâ conveniri poſſunt, ut *patet ex l.1. C.de hered.tut.Ampliſ.Dn.Præſ.in diſp.Novo-juſt.3.tit.20.θ.12.& 13.* III. Negociorum gestio,quæ itidem ſolam utilitatem ejus,cuius ſunt negocia,nó eius qui gerit,reſpicit:& tamen præter bonam fidem, etiam diligentiam gerentis, indeque levis culpæ præſtationem exigit. *d.l.23.ff.de R.I.l.11.l.19.§.1.ff.de negoc.geſt. Ampliſ.Dn.Præſ. in diſp. Novo-juſt 12.t t.28.θ.4.& in prælection.publ.* Mandatum verò,ipſius mandátis gratiâ,ſive in ipſius utilitatem factum,ab indicatis regulis, ut nonnulli contēdunt, non excipio. *Ampl.Dn.Præſ. d.diſp.12 tit.27.θ.4.*

129. Hactenus de Causis actionum per ſe Honestis & civilib.Sequuntur nunc principia ſeu cauſæ actionū, quæ per ſe Inhonestæ & inciviles,h.eſt.injuſtæ ac prohibitæ ſunt.*l.2.3.ff. de extraord.cognit.l.52.§.17.& l.57.ff.pro ſoc.* quales ſunt Delicta, tum Vera tum Quasi. Delictorum autem verorum quatuor præcipuæ ſunt ſpecies: Furtum videlicet, Rapina, Damnum contra Legem Aquiliam datum, & Iniuria:quarū duæ priores,ut & poſtrema, ſemper & perpetuò ſunt ſpecies verorum delictorum, quippe quæ ſemper ex dolo proficiſcuntur:tertia verò delictis veris annumeratur eatenus, quatenus dolo & malicioſo propoſito damnum eſt datum.Eſt enim etiam damnum non dolo ſed aliâ quâdam, & vel levi, vel etiam leviſſimâ culpâ datum,quod eâdem lege Aquiliâ vindicatur,*ut patet ex §.7.Inſt. de lege Aquil.l.in lege.44.ff.eod.*

130. Species autem has delictorum conſidero hîc, quatenus aptæ ſunt ad producendas obligationes & actiones civiles,h.e.ex quibus actor aliquid ſibi adjudicandum vel ſibi applicandum perſequi poteſt *fac.princ.ibi:quod ſibi. Inſt. de action. l. 9. §.5.ibi:utilitas privatorum.ff.de publican.* ſive id ſit res ipſa,quæ ex cauſa delicti de bonis ſeu patrimonio actoris detracta eſt, adeóque

eoque reſtitui ſeu reparari debet, ſive pœna, quæ pro vindicando delicto, ipſi actori, propriæ utilitatis causâ, à reo exigenda conceditur.

131. Et ex furto quidē duplex eſt actio; Una rei perſecutoria, quæ nihil præter rē ipsā furto ablatā perſequitur, & generali verbo appellatur Actio furti, *in l.71. ff. de furt.* propriè autē appellatur Condictio furtiva, *tot. tit. ff. de condict. furtiv.* Altera pœnalis, quæ ad ſolā vindictā ſeu pœnā actori applicandā intenditur, & in ſpecie actio furti nuncupari ſolet. *§. ult. Inſt. de oblig. quæ ex delict.* Ex rapina eſt actio una, ſed ea mixta, h.e. unà cum re ipſa vi ereptâ ſimul etiā pœnam perſequēs. *pr. Inſt. de vi bon rapt.* Ex damno regulariter & per ſe eſt actio rei tantū perſecutoria, quâ nimirū reparatio tantùm eius dāni, quod actori in bonis ſeu re ſua familiari datū eſt, petitur; ex accidenti verò, & quatenus vel res in qua damnū eſt datū, retrò pluris fuit, vel reus id ipſum inficiatus eſt, mixta fit actio, h.e. & rei ſive dāni iſtius, & eius, quāti retrò res pluris fuit, & alterius tanti, perſecutoria. *§. 19. verſ. ſed & legis. Inſt de action.* Ex injuria deniq; eſt actio ad ſolā vindictā tēdens *l.7. §.1. verſ. quid ergo, ibi: ut vindicetur, non ut dānū ſarciatur. ff. de injur*. rei autē perſecutorias habens concurrentes, ſi ſc. injurijs realibus etiā rei familiari dānū ſit datū, *exēplo l.25. ff. de injur.*

132. Poteſt autem ex hiſce delictis (eo reſpectu quo ad pœnam obligant) agi dupliciter; vel pecuniariè ſive civiliter, h.e. ut id quod ex pœna provenit applicetur ipſi actori, ſicut in præcedentibus dictū eſt, vel extra ordinē ſive criminaliter. h.e. ut actor ſibi ſuævè utilitatis causâ nihil petat, ſed ſimpliciter delictū ad eū, cujus criminū vindicandorū poteſtas eſt, deferat, pœnamq; vel corporalē aliquā, vel pecuniariā fiſco ceſſurā reo imponēdā permittat. *l. ult. ff. de privat. delict. exemplo l. ult. ff. de furt. §.10. Inſt. de injur.* quæ ipſa tamen criminalis actio ſive perſecutio à publicis accuſationibus (quæ ſc. ex legibus publicorū judiciorū veniunt. *l.1. ff. de publ. judic.* & ſingulari ratione, quòd eodē facto & privatim & publicè delinquatur, *exem. l.2. §.1. ff. de vi bonor. rapt.* circa idem factū concurrunt.) differt præcipuè in eo, quòd ſit privata, h.e. ei imprimis & præ aliis omnibus competens, cui & civilis actio pœnalis eodē ex facto cōpeteret, ut colligi & intelligi poteſt ex eo, quòd eidē actori electio iſta concedatur. *d. l.*

ult. ff.

ult. ff. de privat. delict. d. §. 10. Inſt. de injur. & quòd pœnalis illa actio civilis, & perſecutio criminalis extraordinaria, ſeſe mutuò perimāt. *tot. tit. C. quando civil. act. crimin præjud.* cujuſmodi peremptio cuicunq; de populo in præjudiciū ejus, contra quem delictum eſt, non eſſet concedend. *fac. l. 3. §. 1. ff. de popul. act.*

133. Sunt autem præter ſuprà enumeratas etiā aliæ delictorū ſpecies, quæ quatenus res privatorū attingunt & lædunt, cum prioribus illis cognationē quandā habent, actiones non tantùm proprias ſuas, ſed & alias affines producunt, plæræq; autē perſecutionē extraordinariā, aut actionē popularem gignūt, ut inter alia videre eſt *lib. 47. Digeſtorum titulis aliquot.* Sicut & ex quaſi delictis actiones non tantùm privatæ, & certis perſonis, ſed & populares, unicuiq; de populo, præcipuè autē ei, cujus præ reliquis intereſt, dari ſolitæ: quarum exempla ſuppeditat. *tit. Inſt. de obligat. quæ ex quaſ. delict.* ex quibus actio de ſuſpenſo aut poſito in decem aureos, item actio de effuſo aut dejecto, quo homo liber occiſus eſt in 50. aureos, populares ſunt, *ut patet ex l. 5. §. ult. & §. hac autem. 5 ff de his qui effud.* reliquæ autem ijs competunt, quibus ejuſmodi quaſi delictis eſt nocitum.

Atque hæc de cauſis ſeu principijs, ex quibus actiones oriri & dari ſolent, pro præſenti diſputatione ſufficiant.

COROLLARIA.

Filiusfam. de bonis adventitiis pleno jure poſſeſſis teſtari poteſt.

Duo in ſolidum verè poſſidere non poſſunt.

Bonæ fidei poſſeſſor cùm induſtriales tùm naturales fructus ſuos facit.

B. F. Poſſeſſor ex fructib. conſumptis locupletior factus, in judicio ſingulari eos lucratur.

Actione de tigno juncto in duplum, etiam b. f. ædificator conveniri poteſt: Nec evitandæ illius causâ tignum eximere poterit.

Diſpoſitio L. 8. C. de revocan. donat. non ſolùm in liberto ſed & aliis locum habet.

Prorogatione termini, debitori inſcio fidejuſſore ad certū illud tempus obligato, factā, liberatur fidejuſſor.

Filius hereditatē reſtituere juſſus non & quartam & legitimā detrahere poteſt.

Mulier SC. Vellejano efficaciter renunciare poteſt.

Jus accreſcendi inter verbis tantùm conjunctos locum non habet.

FINIS.